

NICANDRI ANTIQUISSIMI POETAE ET MEDICI

I

THERIACA,

IN LATINUM CARMEN REDACTA PER EURICIUM CORDUM MEDICUM.

N1_01 v.1 Reptilium, quae dente nocent, ictuque, ferarum
 2 tum varias formas, tum noxia vulnera, quis hae
 3 incautos perimant homines, illisque rebelles
 4 pestibus antidotos, mihi multos inter amicos,
 5 quos consanguineae jungit vicinia stirpis,
 6 care Hermesianax, facili veraceque Musa
 7 et candente libens ac promptus pectore dicam.
 8 Ergo laborantes in silva et rure coloni
 9 te medicum observent, ut si qua ibi agentibus illis
 10 mortiferos rabido dentes inflixerit ore,
 11 abs te morborum medicamina certa suorum,
 12 quae prius ipse meo didicisti carmine, sumant.
 13 Fama est multiplici variata phalangia forma,
 14 omneque serpentum genus, et quae cetera turba est,
 15 quae letale fovent, fundunt, spirantque venenum,
 16 anguipedum fuso prodisse cruore Gigantum,
 17 dum contra superum tollentes arma Tonantem
 18 illius trifido tererentur fulmine, si jam
 19 Phocaici quondam prope sacra fluenta recessus
 20 non ficta Ascraeus cecinit mendacia vates.
 21 At largos puncti facientem corporis imbres,
 22 atque unca invisum post tergum cuspide vermem,
 23 filia Titanis Coei Latonia diva
 24 produxit, celeri quando festina volatu
 25 Boeotam impeteret quo perderet Orionem,

26 quod puram ille deae vestem sordente sit ausus
 27 attrectare manu, latitans hinc scorpius ille
 28 occultas tacite insidias mortemque paravit,
 29 et solidam fixo percussit acumine plantam.
 30 Cujus lucida nunc, ceu venatoris, imago
 31 ardua praecinctorum micat inter sidera telo.
 32 Quodque venenatum non magno reptile nisu
 33 omnibus ex stabulis, ex quolibet imo cubili,
 34 seu stratum sit humi, seu sit sublime, fugaris.
 35 Tunc ubi torrentes, Phoebi vitaveris ignes,
 36 et scissos fugiens per agros tua membra locaris
 37 congestis facto stipulis sub nocte grabato.
 38 Aut densos quando colles extremave vallis
 39 jugera, qua talis reperitur plurima pestis.
 40 Nempe per umbrosas silvas per opacaque lustra,
 41 aut aequas ubi planities et densa vepreta,
 42 quae primum surgens herbarum foetus inumbrat,
 43 transieris, siccam tunc dorsi exuta senectam
 44 bestia segne trahit molli cervice volumen.
 45 Cum tepido sub vere suum modo liquerit antrum,
 46 et caliganti male cernit lumine, sed cui
 47 arrosus mox feniculi sua robora caulis,
 48 atque novum reddit, qualis fuit ante, vigorem.
 49 Noxia serpentum redolenti spicula thymbra,
 50 cervinique gravi cornu nidore fugabis.
 51 Et siccum accendens gagatae quandoque lapillum,
 52 quem consumentis non exedit impetus ignis.
 53 Multifidam filicem crepitantibus injice flammis,
 54 aut imas viridis libanotidos accipe fibras,
 55 tantumdemque acris nasturci, his junge duobus
 56 aequali capreae jam jactum pondere cornu.
 57 Aut exsiccantem nares cerebrumque nigellam,
 58 interdum sulphur, foedum quandoque bitumen,
 59 ut sumpta aequali pendantur singula parte.
 60 Vel tu Threicium flamma succende lapillum,
 61 qui licet irriguis mersus tamen ardet in undis,
 62 expressaque statim restinguitur unctus oliva,
 63 huc quem fluctisoni mittunt a litore Ponti,
 64 qui, rude vulgus, ibi vescentes carne magistri
 65 pascendi pecoris sua post armenta sequuntur.
 66 Praeterea graveolens candentibus in dita prunis
 67 galbana, et ignitum faciens urtica dolorem,
 68 dentatisque cedrum maxillis sectile lignum,
 69 omnibus invisum serpentibus efflat odorem.
 70 Istis auxiliis cava lustra nigrosque recessus,
 71 ac omnes tali purgabis peste latebras,
 72 et placido prostratus humi satiabere somno.
 73 Sin haec difficili constant non prompta labore,
 74 atraque nox subitis tellurem contegat alis,
 75 finitisque operis dulcem tibi forte quietem,
 76 ut sua defessis redeat vis artubus, optes.
 77 Tunc juxta virides sinuosi vorticis alveos,
 78 amnicolam nepetam per obesas collige ripas,
 79 his ea quando locis nascatur plurima, namque
 80 udis laeta labris, et amoeno flumine gaudet.
 81 Aut tibi casta salix, pulchro quae flore renidet,

82 praebeat instrata securum fronde grabatum.
 83 Sic quoque montanum polium, cujus grave spirans
 84 horret odor, nomenque suum quae debet echidnae
 85 herba, et ab Euxina quae fertur origanus urbe,
 86 quaecumque illarum decerpitur obvia, prodest.
 87 Quin etiam multo per aprica cacumina flore
 88 ridens abrotonus, pecorique grata petitum
 89 pabula serpillum, molli quod pascitur horto,
 90 atque suas circum radices figit, et hirtis
 91 expassum foliis pendentia brachia fulcit.
 92 Praestat item exiguam circumlustrare conyzam
 93 viticeasque comas, et spinosas anagyros,
 94 sic et punicea sectis ex arbore ramis,
 95 regalisque amplis licet hastae frondibus uti.
 96 Accipe item innocuo medicantem frigore strumum,
 97 atque invisum pigris Scyra prima aestate bubulcis,
 98 quod tum, si pascens armentum has ederit herbas,
 99 praecipiti fuerat per inhospita devia cursu.
 100 Hac ratione etiam densi coma pinastelli,
 101 siccaque quae incultis campestribus intiba surgunt
 102 Palladio intuderis, facturum ut ante, liquore.
 103 Hoc quoque cana modo tibi salvia proderit, et quae
 104 multa fere solas radix pretiosa Cyrenas
 105 incolit, et grato medicinam exornat honore.
 106 Cunctarum doctrix etiam experientia rerum
 107 prodidit, et testans non vanum comprobatur usus,
 108 vulnificus procul infesto quod porcus odore
 109 effuget horrendos cogatque facessere dentes.
 110 Quod si rodentes olus et frondentia vermes,
 111 taetra quibus virides depingunt terga colores,
 112 vel tenerum florem per agros venientis hibisci
 113 in medico sacra de Palladis arbore succo
 114 triveris, hincque tuum colleveris undique corpus,
 115 tuta dabis dulci securus membra quieti,
 116 nulliusque ferae metues lacrimabile vulnus.
 117 Injectosque in parva duos mortaria ramos
 118 nobilis abrotoni non fessa contere dextra,
 119 aequalique oboli nasturcia pondere misce.
 120 Sic quoque ducentis lapidem nova semina dauci,
 121 hincque breves faciens rotulas pallente sub umbra,
 122 quae tamen admissis sit libera flamine, sicca.
 123 Quas, postquam aruerint, rursum tere, deinde perunge ;
 124 quandoque in triviis generandae dedita proli
 125 reptilia aspicere est, secum coeuntia, quae si
 126 figlinae caute tollens immiseris ollae,
 127 egregium antidotum contra illa venena repones.
 128 Sed superadde bonae cervino ex osse medullae,
 129 vel pinguis, caleat quod adhuc a caede, cerebri.
 130 Triginta quantum possum sustollere drachmae,
 131 quattuor heminas praestantis odore rosacei,
 132 cujus facta semel, bis, terve expressio praestat,
 133 splendentisque olei, crudis quod fluxit olivis,
 134 tantundem, et purae dodrantem his adjice cerae.
 135 Haec bene ferventi celer omnia concoque vase,
 136 squamea dum liquidi mollescant membra draconis.
 137 Dehinc fabrefacta tibi mola sit, qua cuncta terantur,

138 turbenturque simul. Sed acutas exime spinas,
 139 quandoquidem his atrum soleat pendere venenum :
 140 hoc ex ungento tua colline membra, deinde
 141 in quodcumque voles iter, et quodcumque grabatum
 142 te poteris tuta semper conferre salute,
 143 vel cum succisae torrenti messis in aestu
 144 dives ad areae opus scrutante profunda tridente
 145 stramina congestum cillens instraris acervum.
 146 Sin his non uncto fortassis corpore succis
 147 acribus aspidibus jejuno occurreris ore,
 148 illud quando malum mortales turbat et angit,
 149 ad nostra antidota et mandata, ut triste venenum
 150 et letum effugias, cauta cito mente recurre.

VIPERA.

N1_02 v.1 Porro ex vipereo, quod noris, germine pejor
 2 femina, quae veluti majori accenditur ira,
 3 sic vehemente magis fert noxia vulnera morsu,
 4 et plus gliscenti se cauda et corpore volvit,
 5 unde citatior hac ictos mors occupat artus.
 6 Noxius est autem reliquo plus tempore morsus
 7 observandus, ubi vectori proxima Tauro
 8 turba, subexoriens monstrarint Pleiades astrum,
 9 sive ubi cum catulis tacite apricantibus olim
 10 nil cum pasta suis furtim insidiosa cavernis.
 11 Dipsas dormierit, et quando famelica prodit,
 12 vel satiata redit, ne tum, tibi consulo, saevae
 13 ullis in triviis occurreris obvius umquam,
 14 cum durum fugiens morsum ignescentis echidnae
 15 frendit echis, vel ubi fervente libidinis aestu
 16 saevo dente sui resecat caput illa mariti.
 17 Ast ubi post vegetam coeperunt pignora vitam,
 18 jamque propinqua adsunt maturi tempora partus,
 19 indignam cari mortem ulciscentia patris,
 20 erosa miserae nascuntur matris ab alvo.
 21 Sola etenim vivo gravidatur vipera foetu,
 22 mortua cum reliquum passim genus ova reponat,
 23 squamigerosque greges per inhospita tesqua propaget.
 24 Tunc etiam caveas horrendam quando senectam
 25 exutus serpens renovata pube resultat.
 26 Vel quando aeripedum timidus fugit ora ferarum,
 27 mortiferoque hominem petit acriter incitus ore.
 28 Maxime enim longas ducenti corpore spiras,
 29 tunc indignantes cervi, capreaeque sequuntur,
 30 atque per omnia quae colit illa cubilia pestis,
 31 horribili accelerant flatu, strepitanteque roncho.

VARIA REPTILIUM GENERA. SEPS.

N1_03 v.1 Praeterea candens nive et asper vepribus Othrys
 2 ruffis reptilibus scatet, et cava vallis, et altae
 3 ac rigidae salebris rupes, nemorosaque saxa,
 4 qua sitibundus, et haud uno apparere colore

5 visus seps habitat, seps semper concolor illi,
 6 qua subfossa tenet tecta atque cubilia, terrae.
 7 Ex illis quota pars saxosi concava clivi,

TRANSOSITUM EST HUC A FINE HOC REMEDIUM.

8 paciferoque deo congestos servat acervos,
 9 atque gravem infligit morsis mortalibus ictum.
 10 Nec faciles cuiquam sine noxa adiguntur aculei,
 11 immo malum diri fundunt in membra venenum.
 12 Terrestres alii cochleas similare videntur,
 13 sunt alii viridi quos pingit squama colore,
 14 oblongumque fabre vario facit ordine circlum.
 15 Plerique, in bibulis quod delicientur arenis,
 16 quodam ceu leprae spiras albore scabrescunt.

ASPIS.

N1_04 v.1 Nunc age terribilem sitientibus aspida squamis,
 2 pestile plus aliis hoc ex grege reptile, nosce,
 3 formidabile cui corpus, tardumque volumen.
 4 Quandoquidem transversa via est, prolixaque ventris
 5 spira, veternosi nivere videntur ocelli.
 6 At simul ac facili forte observaverit aure
 7 vel minimum strepitum, segnes a corpore somnos
 8 excutit, et teretem sinuat mox aspera tractum,
 9 horrendumque caput, porrectaque pectora tollit,
 10 tam procera, extensa queunt quam bracchia duci.
 11 Tantaque crassities est, quantum missile telum,
 12 quod faciens hastas docta faber expolit arte,
 13 pro trucium horrisona taurorum, et caede leonum.
 14 Squalidus inter dum color albet, saepe virenti
 15 cum maculis, saepe est cineres imitante figura,
 16 nonnumquam ardenti veluti succenditur igne,
 17 idque nigra Aethiopum sub terra, quale refusus
 18 Nilus saepe lutum vicinum in Nerea volvit.
 19 Praeterea geminae, calli instar, fronte carunclae
 20 haerent, sanguineis scintillant lumina flammis,
 21 turgida squallet item cervix, grave sibilat ipsa
 22 bestia, dum certam vomit ira concita mortem,
 23 quattuor hinc intra maxillae concava dentes
 24 radices fixere suas, quos juncta quibusdam
 25 pelliculis tunica obducit, triste unde venenum
 26 effundit, si forte suo haec approximet hosti.
 27 Nec tamen ulla vides impressi vulnera morsus,
 28 nec dignus fatu tumor ictum corpus adurit,
 29 sed qui laesus homo est citra omnem fata laborem
 30 claudit, et ignavo moriens torpore fatiscit.
 31 Solus eam potis est ichneumon vincere pestem,
 32 cum grave cautus ei bellum parat, aeditaque ova,
 33 quae fovet in multorum hominum insuperabile letum,
 34 omnia fracta terit, mordaceque dente lacessit.

ICHNEUMON QUALE ANIMAL

N1_05 v.1 Tale autem ichneumon animal, velut acrior ictis
 2 quae cicures alta prendit sub nocte volucres
 3 qua struxere suum supra tabulata cubile,
 4 et parvam abscondunt sobolem fotricibus alis.
 5 Ast ubi Niliacos inter decernere juncos
 6 cum fervente suis de moribus aspide tentat,
 7 altas continuo sese demittit in undas,
 8 submersoque petit limosum corpore fundum,
 9 et sua defoedat contacto tergora caeno,
 10 dum rapido villum desiccet Sirius aestu,
 11 atque paret rigidos facienda ad vulnera dentes.
 12 Tunc praetendentis linguam, horribilisque colubri
 13 impetit adversum caput acri mordicus ore,
 14 aut algosa trahit deprensa in flumina cauda.

VIPERA.

N1_06 v.1 Hic quoque vipeream, quae cernit acuta, figuram
 2 aspicias ut non uno se corpore prodat,
 3 et nunc haec longum, parvum trahat illa volumen,
 4 nec pare consimiles forma sit ubique dracones
 5 cernere, nam gignit nostra haec Europa minores.
 6 Tum qui molle supra praetendant cornua guttur,
 7 et quodam candore micent, alii ad scopulos
 8 Scironis montes, alta et Pammonia, et ipsum
 9 Rhiphaeum, et dictum corvi cognomine pagum
 10 et canentem habitant Aselenium, quin et alumna
 11 fert Asia ultra tres longis qui tractibus ulnas
 12 se tendant, rigidum quales Bucarteron, atque
 13 arduus Aegagees, et celsus Cercaphus intra
 14 se multos refovet, quorum satis ampla patescunt
 15 in latum capita, et summae circa ultima spirae
 16 femina pone trahit ceu mancam vipera caudam
 17 perpetuo duris horrentem tergora squamis,
 18 et per opaca pigrum raptat dumeta volumen.
 19 Ipse sed acre caput mas fert prolixior illa
 20 quandoque, et quandoque minor, sed non ita lato
 21 ventre patet, mutila est similisque per omnia cauda.
 22 Prolixi semper tractus, similes quoque squamae.
 23 Atqui irritata quoties excanduit ira,
 24 sanguineo facies oculique rubore coruscant,
 25 diffissaque micans celer incrispanteque lingua
 26 obliquam sinuat postremo in corpore caudam.
 27 Hinc miseras faciens iter edit turba querelas
 28 accepto ex morsu. Geminos, nervi instar, acutos,
 29 triste quibus virus jacet, ipse, at femina plures
 30 ore suo dentes habet, hos perpendere latos
 31 icta ex carne licet, porro ipso ex vulnere quaedam
 32 it sanies, quae nunc pinguis, nunc esse cruenta
 33 cernitur, et nullum praefert quandoque colorem.
 34 Sed quae circumdat plagam caro, turgida moles
 35 tollitur, interdum rubicunda, palamve videtur
 36 livida, non numquam quodam velut hydrope gliscit.

37 Praeterea quales ambusto in corpore bullae
 38 exteriori solent summatim emergere pelle.
 39 Inde subexoriens plagam et vicina, putredo
 40 occupat, et tristem ciet in praecordia mortem.
 41 Aspera quandoquidem vehementer, et ignea noxa
 42 totum corpus edit, miserae arto ex gutture voces
 43 perstreperant, caecaque caput vertigine nutat
 44 multaque debilitas membra, anxietasque fatigat,
 45 et gravis oppressum vexat caligo cerebrum.
 46 Arida faux, saepe extremos it frigus in unguis,
 47 atque hiberna statim cadit omnes grando per artus,
 48 crebri etiam bilis vomitus, fit pallidus aeger,
 49 atque imitante nives circum sudore madescit.
 50 Plumbeus est aliquando color, quandoque nigrescit,
 51 fusilis interdum similatur floribus aeris.

CERASTES.

N1_07 v.1 Nunc potes astutum insidiatoremque cerasten
 2 noscere, vipereum veluti genus, huic quia dispar
 3 non is corpus habet, sed quattuor aut duo profert
 4 cornua, cum mutila videatur vipera fronte.
 5 Squalidus albenti color est, bibulis sub arenis,
 6 vel qua facta rotis via longa sub scrobe dormit.
 7 Ex iis alter echis velocibus obvia spinis
 8 recto terga tibi prolixus tramite ducit,
 9 sed medio diffusius hic se corpore volvit
 10 curvum errans per iter resonantibus aspera squamis.
 11 Qualiter aequoreo longissima gurgite navis,
 12 quam violentus agit nunc huc nunc Africus illuc,
 13 pellitur, et laterum gemibunda fragore suorum
 14 extra sulcandas sinuose fluctuat undas.
 15 Is si forte gravem serpens impresserit ictum,
 16 fit similis clavo tumor, obscureque levantur
 17 pustulae, et afflicta non magnum parte dolorem
 18 exagitant, verum tristis magis inguina tentat
 19 atque ambos poplites labor, et pallente colore
 20 exanimis fractisque fatiscens viribus aeger
 21 conspicitur, ter tresque dies superum aethera cernit,
 22 raroque conceptam fugit hoc ex vulnere mortem.

HAEMORRHOUS.

N1_08 v.1 Qui noscenda sit hinc serpens haemorrhous audi.
 2 Rimosas colit illa petras, sibique aspera tecta
 3 et modice pendens facit inflexumque cubile.
 4 Unum longa pedem, totoque gracillima tractu,
 5 ignea quandoque est, quandoque est candida forma,
 6 constrictumque satis collum, et tenuissima cauda.
 7 Bina supra gelidos oculos frons cornua profert,
 8 splendentum quadam radiorum albertia luce,
 9 silvestres ut apes populatricesque locustae.
 10 Insuper horribile ac asprum caput horret, et instar
 11 ipsius oblique sua parvula terga cerastae

12 claudicat, ex medio videas appellere dorso
 13 parvum navigium, terit imam lubrica terram
 14 alvus, et haud alio tacite trahit ilia motu.
 15 Ac per arundineum si transeat illa grabatum,
 16 protinus, horrendos ubi mordens intulit ictus,
 17 decolor accurrit species, quaedamque nigredo,
 18 anxia corda dolent, gelidae sitis ingruit undae.
 19 Quin et sanguinei prima sub nocte fluores
 20 ipsis prosiliunt ex naribus, auribus, ore,
 21 vesicaque simul, quae sunt in corpore plagae
 22 rumpuntur, quadamque cutis fuligine marcet.
 23 Ergo cave, imprimisque suum ne femina virus
 24 invomat, haec quoniam diro quem presserit ore,
 25 ignitas queritur gingivas, atque per ipsos
 26 erumpens unguis miro fluit impete sanguis,
 27 et male olente madent foedi putredine dentes.
 28 Quondam animosa Helene cygni Jovis incluta proles
 29 eversa rediens Troja (nisi vana vetustas)
 30 huic indignata est generi, Pharias ut ad oras
 31 venit, et adversi declinans flamina venti
 32 fluctivagam statuit juxta Nili ostia classem.
 33 Namque ubi nauclerus se fessum forte Canobus
 34 sterneret et bibulis fusus dormiret arenis,
 35 laesa venenosos haemorrhoids impulit ictus,
 36 illaetamque tulit letali dente quietem.
 37 Protinus oviparae cernens id filia Ladae
 38 oppressae medium serpenti fervida dorsum
 39 infregit, tritaeque excussit vincula spinae.
 40 Quae fragili illius sic dempta e corpore fugit,
 41 et graciles haemorrhoidi obliquique cerastae
 42 ex hoc clauda trahunt jam soli tempore membra.

SEPEDON

N1_09 v.1 Jam quae Sepedonis species sit, qualeque corpus,
 2 accipe, diversa tractum ratione figurat.
 3 Quin etiam mutilae nulla insunt cornua fronti,
 4 et color, hirsuti qualem est spectare tapetis,
 5 grande caput, brevior, dum currit, cauda videtur,
 6 quam tamen obliquo majorem tramite ducit.
 7 Quod fit ab hoc vulnus, magnos, nocuosque dolores
 8 excitat, interimens quia fundit et ipse venenum,
 9 quo sata marcentes tabes depascitur artus,
 10 indeque siccata resolutus pelle capillus
 11 spargitur, ut volitans candentis pappus achantae.
 12 Praeterea foedum turpi vitiligine corpus,
 13 et velut urenti maculas a sole videre est.

DIPSAS.

N1_010 v.1 Exiguae similis spectatur dipsas echidnae
 2 sed festina magis mors ictos occupat aegros.
 3 Parva et lurida cui circa ultima, cauda nigrescit.
 4 Quem ferit, accenso miseris is corde querelas,

5 fundit, et arenti sitibundus fauce dehiscit,
 6 quaesitisque, velut taurus, superincubat undis,
 7 immensoque replet, sed frustra, viscera potu,
 8 dum crepet intensus rupto mox sumine venter.
 9 Pervetus est juvenum et narratur fabula, quod, cum
 10 maximus aetheream coepisset Juppiter arcem
 11 diviso in fratres maris, et quod Tartara, regno,
 12 aeternam dederit mortalibus inde juventam,
 13 ut dignum meritis impertiretur honorem.
 14 Jam quoniam supero surreptae ex aethere flammae
 15 praedonem amentes odere Promethea, quod non
 16 ipsos perpetuum virides fecisset in aevum.
 17 At nihil hoc illis divinum et nobile munus
 18 profuit a facili jam suscepisse tonante,
 19 quandoquidem pigro fessi tandem illud asello
 20 imposuere, gravis qui mox sub pondere doni,
 21 arida dum tentat vicino guttura fonte
 22 colluere, aspecto subito serpente stupescit,
 23 utque sibi tutum velit is concedere potum
 24 supplicat, ille bonum fore se respondet, at istae
 25 condicione, suo si det quae pondera dorso
 26 bajulet, insipiens (suasit sitis) annuit ille.
 27 Hinc est quod veterem serpentes corpore pellem
 28 abjiciant, et quoque novi reparentur in anno,
 29 infelix hominum genus omni ex parte, sequenti
 30 perpetuo senio, certoque sub infera fato,
 31 ipseque sic serpens, velut ante accensus asellus,
 32 ferveat, et pejore hominem clam vulnere laedat.

CHERSYDRUS

N1_011 v.1 Nunc mea chersydrum facili dic carmine musa,
 2 qui pare productu similantique aspida vultu
 3 exprimit, ac viridis celeberrimus incola stagni
 4 infestum ranis odium, non molleque bellum
 5 infert, ac siccis ubi desinit unda lacunis,
 6 egressus terra se continet, hic sua membra
 7 squalidus informisque fovet fervente sub aestu,
 8 in tritisque viis afflante atrociter ore
 9 exedit arentes, quos fecerat orbita, sulcos.
 10 Pessima quas fecit plagas hic signa sequuntur :
 11 arida tota cutis circum putret, horribilemque
 12 elevat aspectum, magni ignitique dolores.
 13 Tandem hominem interimunt, mox plurima pustula surgit,
 14 ac aliae ex alia bullae se parte refundunt,
 15 et miserum diris turbant affectibus aegrum.

AMPHISBAENA.

N1_012 v.1 Post hunc exiguam tibi subdimus amphisbaenam
 2 duplici conspicuam (monstrum mirabile) vultu,
 3 cujus perpetua caecum est caligine lumen,
 4 quod latas utrimque genas porrectaque menta
 5 plus aliis alto serpentibus aggere tendat.

6 Terreus est illi color, et densissima pellis,
 7 plurima quam varie distinctam signa figurant.
 8 Haec ubi jam crevit, caedentes ligna coloni
 9 sectam deglabrant oleastri ex arbore virgam,
 10 quale pedum, strictisque prehensi pellibus anguis
 11 insertam obvolvunt, quas certis deinde diebus
 12 exarere sinunt cantantes ante cicadas.
 13 Utilis hic baculus frigentibus artubus esse
 14 fertur, ubi exanimis digitos torpedo fatigat.
 15 Tunc quia constrictos, et eorum vincula, nervos
 16 calfacit immisso fovet extenditque calore.

SCYTALA.

N1_013 v.1 Bifronti similem reperis Scytalam amphisbaenae
 2 pinguior est tamen, et cauda, quae nulla fere exit,
 3 crassior, ut quantum solita est comprehendere lignum
 4 curva manus strictum quoties tenet ipsa lignonem.
 5 Tam prolixa, vagans pluvio quam reptile caelo,
 6 quod fecunda genus sua gignit viscera tellus.
 7 Nec post quam, juvenis venienti tempore veris,
 8 magna deum quando profert serpentina mater,
 9 liquerit obscuram consueta cubilia petram,
 10 et nitidos tepido sub sole extriverit artus,
 11 pandentis se feniculi teneram exedit herbam,
 12 sed per opaca morans imi declivia montis
 13 se tenet, et multo graviter latet obruta somno,
 14 eque alta sua conquirat sibi pabula terra,
 15 nec licet id magno cupiat studeatque labore,
 16 arescente sitim potis est depellere fauce.

BASILISCUS.

N1_014 v.1 Nunc modicum, at dominum serpentum perspice regem.
 2 Eminent argutum caput, est flavo ipse colore,
 3 et tribus extenso porrectus corpore palmis.
 4 Illius auditos expectant nulla susurros
 5 quantumvis magnas sinuent animalia spiras,
 6 quando vel in pastum, vel opacae devia silvae,
 7 irriguosve locos mediae sub luce diei
 8 excandescenti succensa furore feruntur,
 9 sed turpi conversa fugae dant terga retrorsum.
 10 Quod ferit hic multo corpus succenditur igne,
 11 a membris resoluta suis caro defluit, et fit
 12 lurida, et obscuro nigrescit opaca colore.
 13 Nullae etiam volucres, quae foeda cadavera pascunt,
 14 sic occisum hominem tangunt, ut vultur, et omnes
 15 huic similes aliae, pluviae quoque nuntius aurae
 16 corvus, nec quaecumque ferae per devia lustra
 17 degunt, e tali capiunt sibi pabula carne.
 18 Tam taeter vacuas odor hinc exhalat in auras,
 19 atque propinquantes penetrat non segniter artus,
 20 sin cogente fame veniens approximet ales,
 21 tristia fata refert, certamque ex aere mortem.

DRYINAS.

N1_015 v.1 Dicendum facili dryinan nunc accipe mente,
 2 hydrum etiam quidam, quidam dixere chelydrum.
 3 Ille cavas habitat quercus, alibi quoque fagos,
 4 posthabitisque algis, dulcique palude, lacuque
 5 quadrupedes ranas gracilesque moluridas haurit.
 6 Hunc si infesta myops odiosa animalibus ales
 7 impetat, exesae celeri impete robora quercus
 8 insilit, hic imo constructo in caespite nido.
 9 Candidus est tergi color, est aequalis et hydro
 10 in capite aspectus, gravis itque a corpore foetor
 11 qualem dant madidae, corii praesegmina, sordes,
 12 quas tereti radunt ab equino terгоре ferro.
 13 Quod si cui prensu dryinas talumve pedemve
 14 laeserit, a toto se spargens corpore fertur
 15 tristis odor, surguntque nigri, qua plaga, tumores,
 16 maestaque tristitia et lacrimabilis opprimit angor
 17 comprehensam morsi quadam caligine mentem,
 18 et periens nimio flaccescit forma dolore,
 19 usque adeo pascens absomit membra venenum.
 20 Quin etiam obfuscans obducit lumina nubes,
 21 et misere affectum perdit letaliter aegrum.
 22 Sunt etiam, ejusdem qui morsi dentibus anguis,
 23 instar balantum soleant clamare caprarum,
 24 sive ovium, et gravibus torti cruciatibus angi.
 25 Pallidus urinae liquor it, torpensque veterinus
 26 ingruit, et crebris quassi singultibus aegri
 27 nunc similem felli vomitum, nunc sanguinolentum
 28 ejiciunt, ipsumque malum facit arida labra,
 29 postremoque gravem fundit per membra tremorem.

DRACO.

N1_016 v.1 Nunc viridem et nigrum post dicta venena draconem
 2 aspice, quem patula fago Phoebelia proles
 3 in gelido Peli nutrit culmine juxta
 4 laeta Pelethroniae quondam declivia vallis.
 5 Formosa apparet species, pulchro illius ore
 6 triplice conspicui se produnt ordine dentes,
 7 magna sub egregia scintillant lumina fronte,
 8 tinctaque felle tegunt imum palearia mentum.
 9 Nec tamen ille graves, ut cetera turba, dolores,
 10 si velit, infixio cum forte momorderit ore,
 11 suscitatur, exiguus non noxia vulnera punctus
 12 (qui ceu rodentis noctu quaeque obvia muris)
 13 infligit, modicum tenuis dat plaga cruorem.
 14 Hunc petit invisum magni Jovis armiger hostem,
 15 cumque genis parat acre suis ex aethere bellum
 16 pascentem in silvis quam primum viderit illum,
 17 quod totos ferus is nidos cum mitibus ovis,
 18 et simul ipsa terens et vastans pignora perdat.
 19 Non timet hoc serpens, imo quodam impete dumis

20 prosiliens, ipsamque aquilam, leporemque tenellum
 21 extrahit ex rapidis vi fraudeque fortior uncis.
 22 Cauta malum declinat avis, fit ibi aspera pugna
 23 ut queat extortam victor sibi tollere praedam.
 24 Sed frustra elapsam et volitantem hinc inde volucris
 25 insequitur, longos sinuum contractus in orbem,
 26 obliquoque levans sursum sua lumina visu.
 27 Sin nimbose Samus petitur vel Lemnia tellus,
 28 (utraque Threicis prope conspicit insula fines)
 29 qua procul alta patet divinae Rescynthidos aedes,
 30 clarus ubi est Hebrus, notaeque nivalia Zona
 31 culmina, et Oeagridae quercus Zerinthiae antra.

CENCHRIS

N1_017 v.1 Prolixam invenies inamabile Cenchrida monstrum
 2 quem variis pictum squamis dixere leonem.
 3 Non statura crassities, eadem nec spira videtur,
 4 quam facit haec plagam, nulla medicabilis arte
 5 tabes insequitur, quae diro membra veneno
 6 exedit, ac turgens cruciatum suscitatur hydrops,
 7 donec is effracta prope sumen parte residat.
 8 Atqui cum rapidis fervescens solibus aestus
 9 ardet, in horrida se silvarum devia confert,
 10 imbellesque rapax venatur praedo bidentes
 11 per celsive Sai juga, frondosive Mosychli,
 12 sub viridis quando frigentibus abietis umbris
 13 securi recubant, grege circum errante, magistri.
 14 Hic cave quantumvis fortis videaris et audax
 15 hoc adversus eas vel tentes proelia monstrum,
 16 in te pestifero ne flammam halet hiatu,
 17 atque tuum implicita corpus liget undique cauda,
 18 et bibat exsuctum per utrimque soluta cruorem
 19 claustra, procul fugito non recto tramite, verum
 20 obliquum per iter, cita quo vestigia frangas.
 21 Laedit enim curvo per spinas tergora flexu,
 22 cum celeres alias recto ferat impete cursus.
 23 Talis Threicio servat se bestia tractu.

STELLIO.

N1_018 v.1 Hic etiam insidians invisos stellio morsus
 2 incutit, hanc illi fertur tribuisse figuram
 3 maesta Ceres pueri mutato corpore juxta
 4 Callichorum puteum, Celeaeis quando Therapnis
 5 nobilis hospitio Divam Metanira recepit.

PLURA ALIA REPTILIA.

N1_019 v.1 Plures reptilium, quae non ita noxia, formae
 2 per densas habitant silvas, per opacaeque lustra,
 3 quos helopes Libyasque coronatosque myagros
 4 dicunt, sunt jaculis insignes, suntque moluri,

5 sunt caecique alii, sed nescia laedere turba.
 6 Ad quorum inflictas propulsatoria plagas
 7 radices, herbas, folia, et quo tempore velli
 8 atque legi praestet, referam, quibus ipse medelis
 9 usus praecipiti possis succurrere morbo.
 10 Ut virides carpas, opus est tibi, sedulus herbas,
 11 dum nova stillat adhuc quasi primo plaga cruore,
 12 praestantissimum id est fieri quo pabula tractu
 13 per frondosa vagi quaerunt umbracula henopes.

VARIA ANTIDOTA CONTRA VENENATOS MORSUS.

N1_020 v.1 Ergo salutarem primum tibi convenit herbam
 2 vellere, idem cum centauro cognomen habentem.
 3 Quam gelido Chiron in Peli vertice quondam
 4 prendit, amaracino folio similis coma surgit,
 5 aureus est flori vultus, non altaque radix.
 6 Vult silvestre solum quo plurima nascitur herba,
 7 hanc tu vel viridem vel siccam contere, deinde
 8 nobilis hemina permisce atque accipe vini.
 9 Cuilibet haec homini mensura sat esse videtur.
 10 Sunt qui hanc alio panaceum nomine dicunt,
 11 optima post partum valet hic et aristolochia,
 12 umbrosa quae gaudet humo, similesque sequaci
 13 periclymnoque hederæque comas, floresque rubentes
 14 exhibet, unde gravem fundens exhalat odorem.
 15 Nascentem in medio cernes pyri imagine fructum,
 16 atque rotunda patet, quodam sed acumine radix
 17 femellae, prolixa mari, similique colore
 18 horicio est buxo, quam contra tristis echidnae
 19 letiferos morsus praesens exquire levamen.
 20 Unius hinc drachmae pondus nigro inde lyaeo,
 21 et bibe, non istos modicum conducit adictus.
 22 A tribus hinc dictam foliis si sumpseris herbam,
 23 non leve praesidium contra illa venena pararis.
 24 Sive alto hanc in monte vel ima valleprehendas.
 25 Sunt et qui minianthes eam, sunt qui tripetelon
 26 appellant, qualis loto est, apparet imago,
 27 et similem rutaee, donec viget, edit odorem.
 28 At flores ubi magna suos, adnataque membra
 29 coeperit, ingratum solet eructare bitumen.
 30 Collectum illius sume et bene contere semen,
 31 appositi quantum breve vas comprehendit aceti,
 32 atque bonum adversus serpentes ebibe potum.
 33 Nunc age mixta tibi tales pellentia morbos
 34 antidota expediam, facillique docebo Minerva.
 35 Thrinaciam Thapsi radicum velle salubrem,
 36 atque albo castum misce de vitice semen,
 37 nerin item, et late spargentem germina rutam
 38 Thymbraeasque comas, sed eas quae propter odorem
 39 serpillum veniunt, et dictae a regibus hastae,
 40 vel caulem, vel radicem, vel semina sume,
 41 helxinenque, alio clybatim quam nomine dicunt,
 42 udis gaudentem semper natalibus, et quae
 43 per dispersa suos protrudit brachia flores.

44 Has omnes, prius in cotulam si triveris, herbas
45 ebibe, commixto tamen his vino vel aceto,
46 si neutrum adfuerit, puram cape fluminis undam.
47 Inde bonam observa radicem nobilis herbae,
48 cui dedit aeternum Alcibiussque et vipera nomen,
49 spinosis semper foliis, similanteque flore
50 purpureas violas, facilis fibrosaue radix
51 altius omniparae scrutatur viscera matris.
52 Extremum Alcibii mordens percusserat inguen
53 vipera, quando cavo dormiret forte sub antro
54 egestae areae, ab hac medica vi peste revixit.
55 Atque hoc contigit id pacto, pungente dolore
56 jam vigil ille statim visam prope proruit herbam.
57 Mandit et exsuxit radicem, semina vero,
58 et siliquas, caulemque dolens oblevit in ulcus.
59 Praeterea caesa potes uti fronde virentis
60 marrubii hoc contra vino splendente venenum.
61 Quae solet enixae lac herba augere juvencae,
62 et facere ut, pulsae prius, offerat ubera, proli.
63 Quamque melictaenam pastores, et meliphyllon
64 appellant, dulci quod apes delectet odore,
65 quae magno densae circum hanc stridore susurrant.
66 Quin etiam hanc ad opem tenuis membranula prodest,
67 quam cerebro gallina suo gerit, interdumque
68 psegma, polycnemonque et origanon accipe, sive
69 aprinum derade jecur, qua concava mensa,
70 acreque fel, et porta cibi est, hanc contere pellem.
71 Tusaque commixto simul haec cuncta offer aceto,
72 at melius foret Haec facienda ad pocula vinum.
73 Accipe item aeterna viridantem fronde cupressum,
74 vel panaces, vel fibrino sectum inguine testem
75 seu fluvialis equi, super atram quem Sain edit,
76 atque malum plenos messorum immittit in agros
77 Niliacus vortex, fluctu siquidem ille relicto,
78 cum jam nata seges, surgentem demetit herbam,
79 et tantum illius spatium praescribit et ambit,
80 retrogrado quantum potis est depascere tractu.
81 Illa cavo tere vase simul pare pondere drachmae,
82 et superinfusae quod sat sit conice lymphae.
83 Nec pulchri abrotoni, aut sacrae obliviscere lauri
84 quas gerit haec baccas, his mollis amaracus addi
85 debet, in irriguo quae gaudet amoenior horto,
86 et teneri leporis, similisve coagula fetus,
87 qualis capreolus pressansque grave hinnulus uber.
88 Pingueve cervinum, quo cingit viscera, rete.
89 Ex his accipiens bis drachmae pondera rebus
90 quattuor in cyathos antiqui dejice vini.
91 Nec veteris medicina cedri te juniperique
92 clam sit, quasque gerit pilulas umbratilis arbor,
93 aptaque ad attegias platanus, quibus addita dicti
94 semina bupleuri, juxta Idaeaeque cupressi.
95 Omnia quandoquidem certae sunt illa medelae.
96 Inflictosque abigunt serpentum dente dolores.
97 Nunc aliud leti effugium, contraque malignos
98 antidotum morsus facili cape serius aure.
99 Inquisitam igitur tere pulybataean, et inde

100 heminam ptisanæ super adde, duosque vetuste
101 mox cyathos vini, pressique liquoris olivæ
102 æqualem partem, quæ sic commixta medella
103 tale tibi eveniet securo e pectore virus.
104 Bis cape quinque picis drachmas mediamque medullam
105 junge huic frondentis ferulæ, vel equestris opimam
106 feniculi radicem et semina, cumque cedrinis
107 baccis algosæ apii nascentis ad undas,
108 et quod cornipedum nomen sibi cepit equorum
109 prægnantem umbellam, et drachmarum pondus duorum,
110 acris e Myrrhæ lacrimis summique cymini
111 decerptum certo dispensans pondere fructum.
112 Cujus tres cyathos vino medicaminis hauri,
113 vipereumque caput, quæque hinc sunt damna repelles.
114 Unius egregiam drachmæ accipe pondere nardum,
115 et misce octipedem fluvii sine tergore cancrum,
116 lacte recens mulso, redolentemque irida tunde,
117 quam Naron, vel amoena fugacis ripa Drilonis
118 nutrit, qua Sidonius cum conjugæ Cadmus
119 Harmonia egressus sua tecta novam advena sedem
120 quaesivit, inque duos versi sunt ambo dracones.
121 Quin et florentem et diffusæ frondis ericen
122 accipe, pascentis gratas examinis escas,
123 ac sterilem æternæ fruticem tamaricis, honorum
124 viventium vatem, per quem Coripæus Apollo
125 conscia venturi fieri præsentia jussit,
126 atque gubernandi populi pia jura sacravit,
127 his etiam viridis plantam conjunge conyzæ,
128 et virgas sambuce tuas, et florida grati
129 brachia samsuchi, cytisum et vegetas thymalides.
130 Omnia sumpta suo, quod sat sit, pondere tunde,
131 atque boni heminam, vel plus, infunde lyæi.
132 Prende coaxantes etiam prope flumina ranas,
133 nempe minutarum patres, quorum optima turba est,
134 sive ipsos coctos, seu pingua juscula sumas.
135 Vipereum simili jocinus ratione juvabit,
136 si schedio mixtum vino potaveris, imo
137 utile et ejusdem caput est serpentis, ubi sic
138 sumitur a læsis viroso dente puellis.
139 Nec nitidos heliochrysi tu desere flores,
140 et clausis foliis noscendam corcoron herbam,
141 omnigenisque malis dictam prodesse conilam,
142 quam vocat herculeam quoque vulgus origanon, adde.
143 Et quædam est, asini folium quæ dicitur, herba,
144 hanc ipsumque simul tere origanon, atque rotundum,
145 ex thymbra fructum (florentem intellige spicam)
146 certa mali hæc etenim sunt propugnacula morbi.
147 Præterea simili quam parva papavera vultu
148 assimilare vides rhamnum caper ore madentem,
149 circa quam niveos est semper cernere flores,
150 quamque alio quidam philetaerim nomine dicunt,
151 qui Gygæa colunt monimenta altumque Tymolum.
152 Densaque Parthenii juga, celsi ubi pascua Clesi
153 errantes carpunt per amoena vireta caballi,
154 ipseque collecto caput effert amne Caister.
155 Nunc medicas æge radices, quæ triste venenum

156 expellunt, mordens quod fudit bestia, dicam.
157 Atque duo hic echiaea vide, quorum alterum inhorret
158 spinoso anchusae folio, parvaqueprehendit
159 nutricem radice suam, sublimior exit
160 alterius caulis, quem circa est purpureus flos,
161 viperea germen specie, durumque cacumen
162 monstrat, ab hoc utroque resectam contere partem
163 in facto ex ligno vel saxo vase, juvabit.
164 Horridi item eryngi simul et medicantis acanthi,
165 ipsiusque, imis quae montibus haeret, erini
166 (aemula riparum quam Romulus ocima dicit)
167 tritas aequali radices pondere sume.
168 Sic grave montanae eucnemi nemus, et nemeaei
169 semen api, aeternum foliis quod servat honorem,
170 et grati anesi duplex his adjice pondus,
171 atque haec mixta suo rite et bene confice vase,
172 ut vel viperei contra mala vulnera dentis,
173 aut uncam caudam, vel dira phalangia certum
174 condas antidotum, cujus, si forte ministres,
175 tres obolos suavi commiscens porrige vino.
176 Perpendenda etiam est varii medicina leonis,
177 montanae, et radios imitantis floribus, herbae.
178 Illius esse duas species cognosce, prioris
179 assimilis scolymo quadam caligine forma
180 atque rotunda effusa juba est, densa aurea radix,
181 aprica effugiens loca opacis nascitur umbris.
182 Asperius folium, sed nullum habet altera caulem,
183 imo humili medium floris caput horret echino,
184 alba intus radix referenti mella sapore.
185 Vitandus niger est, tacitum fovet ille venenum,
186 mixti autem lymphadrachmam potaveris albi.
187 Alteram ab Alcibio dictam cape providus herbam,
188 prendenti quantum poteris constringere dextra,
189 commixtoque mero factum celer ebibe potum.
190 Repperit hanc olim quidam venator, ut aiunt,
191 quando Phalacraeis scopulis Crymnaea per arva
192 et per amoena Grasi clamosus Equique vireta.
193 Exhortante canum latratus voce cieret.
194 Hic viridi in silva celeris vestigia caprae
195 sectans in madidum prope lumina vertagus hircum
196 vipereis tristem suscepit dentibus ictum.
197 Ergo procul querulo et morsum testante latratu
198 haerentem a sese serpentem excussit, et inde
199 hujus morsa statim folia herbae glutit, et sic,
200 horribilem interitum tali medicamine fugit.
201 Et viridem librum pinguis deglube ricini,
202 quem simul asperuli misce foliis apiastri.
203 Vel sua debentem soli cognomina ramum,
204 haec ad eum quoniam semper convertitur herba
205 assimilanti oleam folii aspicienda figura.
206 Sicque cavi radix cotyledonis utilis atris
207 ulceribus, si cui fidit imam pernio calcem,
208 atque virens pyrethrum, messa et scolopendria prodest.
209 Quin Phlegyaem etiam Panaces cape, clara quod olim
210 Phoebi progenies ad caerula flumina carpsit,
211 praelustri ex Iphicle satum curans Iolaum,

212 Herculei quando comes adjutorque laboris
 213 Lernaeam domuit victoribus ignibus hydram.
 214 Et teneram felem, venatricemve parentem
 215 illius accipiens ambustos extere crines,
 216 et quae foeda latent dissecto viscera ventre
 217 exime, et aspersam sale dehinc et sulphure carnem
 218 exsicca in patula seclusis solibus umbra.
 219 Atque ubi te tristis fortuna coegerit, inde
 220 sume quotam et reseca minima in corpuscula partem,
 221 quale solet silphi frustum vel lacteus orbis
 222 incidi, haec praesens, si qua est, praestansque medela
 223 cuncta simul vincet mala tali inflicta veneno.
 224 Nunc Neptunia quo valeat testudo vigore
 225 accipe, certa quidem haec semper tutela probatur
 226 contra se longis volventes tractibus angues,
 227 quantocumque etiam, et quam multo vulnere laedant.
 228 Hanc ubi versati piscator in arida Ponti
 229 traxerit, infixo resupinam interfice cultro,
 230 atque novo figuli fusum excipe vase cruorem.
 231 Tum quae subsidunt imo liventia fundo
 232 humida defaecata, siccati deinde capesse
 233 sanguinis aequata quantum secta uncia lance
 234 elevat, agrestis cui dimidium adde cymini,
 235 cujus quartam aequent leporina coagula partem.
 236 Ex toto hoc unam pastillo demito drachmam,
 237 inque bono dato, si quem laesit bestia, vino.
 238 Atque haec adversus serpentes esto medela.

PHALANGIA.

N1_021 v.1 Dira venena dehinc nocui perpende phalangis
 2 quaeque malos ictus illius signa sequuntur.

ROX.

N1_022 v.1 Splendidus hic primus rox est nigricante colore,
 2 et multis pedibus, septa ore et dentibus alvus.
 3 Quem ferit hic nullam profert in corpore plagam.
 4 Ast ima tacite rufescunt lumina parte,
 5 horrida frigiditas penetratos occupat artus,
 6 mutatusque color, resolutaque membra deorsum
 7 denutant, flacco languescunt inguina peni,
 8 egelidique labant luxato poplite lumbi.

ASTERION.

N1_023 v.1 Istis Asterion signis agnosce secundum,
 2 in summo apparent quaedam quasi pingua dorso,
 3 atque nitens varium depingit virgula corpus.
 4 Percussum hoc hominem subitus cum flatibus horror,
 5 aggreditur, gravidum languet torpore cerebrum,
 6 lassaque, praecipue genuum, compago fatiscit.

CYANEUM.

N1_024 v.1 Caeruleum genus est aliud sublime pilosum,
 2 hirsutaque sui lanugine corporis horret.
 3 Difficilem hoc infert labefactis artubus ictum,
 4 debile cor multo tremit et languore gravatur,
 5 et circumfusa caligant tempora nocte.
 6 Lubricus et tenui, quam texit aranea, telae
 7 assimilis vomitus subit, hinc lacrimabile fatum,

AGROSTES.

N1_025 v.1 Hinc alia agrostes species distinguitur, ut qui
 2 cernitur esse lupo similis, qui mollia texit
 3 retia, et his muscas, culices venatur, apesque,
 4 oestraque, et extensos quodcumque volatile casses
 5 impetit, imbellem fert hic innoxius ictum.

DYSDERI.

N1_026 v.1 Mox aliud gravius genus est, dysderi vocare,
 2 sphecaeumque solent, rutilo quod fulget honore,
 3 crudivoraque sua similatur imagine vespae.
 4 Quae fortis spectatur equi non languida proles,
 5 nam quia equi vespas edunt examina tauri.
 6 Si quod id inflixit temere non negligere vulnus.
 7 Turgidus, ex illo tumor est, deprensaque morbo
 8 genua labant, tremulus subit intima viscera languor
 9 sublataeque cadunt quasi toto in corpore vires.
 10 Ictum ut saepe hominem domet interimatque malignum
 11 extremeque nocens animal, lethaea venena
 12 quod vomit, et parvo talem dat vulnere somnum,
 13 ut ferat aeternam cessante labore quietem.

MYRMETION

N1_027 v.1 Nunc age nosce genus formicae nomine dictum,
 2 tale quod insectum similis demonstret imago.
 3 Splendida colla rubent, reliquum quasi putrida corpus
 4 nigrities pingit, stellantibus undique guttis
 5 distinctum est dorsum, cineres imitante colore,
 6 conspicuum caput exigua cervice levatur.
 7 Ex illo similes aliorum expende dolores.

ALIUD PHALANGII GENUS.

N1_028 v.1 Saepe subincidens si quando legumina messor
 2 atque alia in medio viridi crescentia parte
 3 evellit similes scarabaeis pascere vermes
 4 parva, puta, et flammam imitata phalangia prendit.
 5 Circa hujus generis cruciantem tubera morsum,

6 multaue consurgit turgenti pustula pelle,
7 atque vagi cor agunt aestus, incondita lingua
8 perstrepat, et vario torquentur lumina gyro.

QUAEDAM AEGYPTI VOLATILIA ET REPTILIA VENENOSAE CRANOCOLAPTAE.

N1_029 v.1 Nunc animo perpende tuo, quas barbara Memphis,
2 bestiolas nutrit, volitantis imagine vermibus,
3 quem circum accensas petulantem nocte lucernas
4 serae cenae abigunt, angustae cujus et alae
5 squalent, non viridi velut ipsa conila colore,
6 sed quemdam veluti cinerem, dum prenderis, edunt.
7 Hunc etiam referens in Perside bestia fronde
8 pascitur, horribili quae semper cernua vultu
9 nutat, at infixio, qui summo e vertice prodit,
10 quod stimulo infligit facile et tolerabile vulnus.
11 Citra omnem est etenim mortem, interitum, atque laborem.

SCORPIO. I.

N1_030 v.1 Inde dolorifica cantandus scorpio cauda,
2 et tetricae illius species, qui primus eorum
3 albicat, haud mala, nec mortalia vulnera figit.

SCORPIO. II.

4 Sed rutilis quem forte genis splendere videbis,
5 hic calidas flammam, flagrantemque incutit aestum,
6 quo detenti homines horrore et frigore quodam
7 concutiuntur, uti qui febre sitique laborant.

SCORPIO. III.

8 Luridus apparens trepidantes vulnere motus
9 fert percusso homini, bipatente qui oris hiatu,
10 ut solet attonitus vel vanus morio, ridet.

SCORPIO. IIII.

11 Est viridans alius, qui quem percusserit, illi
12 mox tremulum horrorem ciet, et penetrabile frigus
13 atque acri corpus se aspergi grandine sentit,
14 supremus rapida quamvis sol lampade flagret.
15 Tam gravis et tanta est factae hoc afflictio noxae,
16 cujus nexa novem juncturis horrida spina
17 extremo nocuum jaculatur acumine virus.

SCORPIO. V.

18 Lividus est alius, grandi qui cernitur alvo,
19 nam rosea vescens manet insaturabilis herba.
20 Quae ferit, infuso depascit membra veneno,
21 et licet exiguo tamen inguina sublevat ictu.
22 Tam malus et vehemens infixus aculeus illi est.

SCORPIO. VI.

23 Deprendes aliud genus assimilante figura
 24 octipedem cancrum, qui albentes incolit algas,
 25 extremosque maris carpando pabula fluctus.

SCORPIO. VII.

26 Incurvis quidam similes etiam esse paguris
 27 cernuntur, majore alios qui corpore vincunt.
 28 Chelis, forcipibusque aequae solidi atque paguri,
 29 qui saxosa tenent timidi cava, quin etiam illi
 30 hisce suum ducunt sed non genitoribus ortum.
 31 Nam camuras quando sua nempe cubilia, rupes
 32 destituere, nec algosum prope litus oberrant
 33 insidiosus eos tumidis piscator ab undis
 34 extrahit, hac ubi se senserunt fraude teneri,
 35 confestim subfossa petunt a muribus antra,
 36 noxia ubi illorum soboles nutritur, ibique
 37 evectis e corporibus damnata propago
 38 ista per erumpit formamque foramina sumit.

SCORPIO. VIII.

39 Inde melichlori species venit ultima, cujus
 40 summum verticulum multa fuscedine nigret.
 41 Fundit inexstinctum, quos percutit ille, venenum,
 42 excretisque viris longe infensissimus hostis,
 43 at parvos natu pueros celeri nece perdit.
 44 Alitibus similis, quae rodunt farra, locustis,
 45 quae super extremas solitae se tollere spicas
 46 extritam illarum plane populantur aristam,
 47 pedasios per agros vagae inhorrentesque corymbos.
 48 Atqui horum adversus novi jacula insectorum
 49 praesens antidotum facere, et quo denique pacto

BEMBIX APIS.

N1_031 v.1 Solo montanae punctu bembicis apisve
 2 non exspectatum soleat subrepere letum,
 3 cum nimis audaci sua circa alvaria gressu
 4 versantem vel agro fessum percusserit aegrum,
 5 ut studiose etiam sua in ipso spicula linquat.
 6 Nam pungens ea fert mortem vitamque volucris.
 7 Compertumque mihi est saevus quid patret Iulus,
 8 perniciemque ferens quid vespa, et parvula possit

PEMPHREDON SCOLOPENDRA. MUS ARANEUS SEPS. SALAMANDRA.

N1_032 v.1 Pempredon, quid item dissecta caput scolopendra,
 2 quae sua sic, quando prorepat, brachia profert,
 3 ut properans navis pellentes aequora remos.

MUS ARANEUS.

4 Caecae mygalees (quae bestia araneus est mus
5 Romano populo) novi quoque triste venenum
6 quamque ictis det perniciem mortalibus, et qui
7 non visis subjecta rotis plaustri ipsa teratur.
8 Sic etiam parvis humili compage lacertis

SALAMANDRA.

9 Non ita dissimilem declinans effuge saepem.
10 Praeterea invisus salamandrae morsus habetur.
11 Quae rapidum et clare ardentem segura per ignem
12 fertur, et absque ullo meat indefessa dolore,
13 nec quicquamque flagrans gradienti illi officit aestus
14 vel rupta cute, vel quacumque in corpore parte.
15 Praeterea quae cumque suis mare fluctibus ambit
16 novimus, inter quae cautae mirabile factum

MURENA.

N1_033 v.1 Murenae est, quod saepe cito vivaria lapsu
2 deserat, atrocique petens audacula morsu
3 volvat in aequoreas piscantem e nave procellas.
4 Fama est, si modo vera, quod haec sua pascua linquat
5 atque eat in siccum, cogente libidine, litus,
6 et cum vipereo coiens serpente gravetur.

PASTINACA MARINA.

N1_034 v.1 Novi etiam aequoream compescere pastinacam
2 depopulatorem vastatoremque draconem.
3 Pestilis illa quidem letalia vulnera figit,
4 piscantes si quando viros suae acumine caudae
5 percutit, aut laesae cum ramis arboris haeret.
6 Quae tum mox obscurior hinc ignobiliorque
7 languet, ab hoc siquidem, rapidis ceu solibus, ictu
8 arentes pereunt huic radicesque comaeque.
9 Sed percusso homini foedae putredine carnes
10 absumuntur, eo quondam periisse veneno
11 afflictum quidam dicunt et rentur Ulysses.
12 Omnium ego illorum contra mala vulnera, quosque
13 illa ferunt secum morbos tristesque dolores,
14 certa tibi, quibus obsistas, medicamina dicam.
15 Sume itaque humentis, quam lac cognominat, herbae.
16 Assimilem anchusae frondem, aut a quinque vocatam
17 radicem foliis, vel acuti germina sentis.
18 Artium item his quartus, cui nomen acedula, rumex
19 adsit, et effusa se spargens fronde lycapsus,
20 cicamaque ordilumque, et odoro flore chamele,
21 cumque humili picea simul altae tergora fagi.
22 Carpe brevem quoque caucalidem natalibus arvis,
23 quaeque adeo huic similis producit semina daucus,
24 atque novum et varium terebinthi ex arbore fructum.

25 Quin etiam aequoreis rubicantem fluctibus algam,
26 et graciles puri contunde comas adianti,
27 in cujus siccis foliis vel nube cadente
28 non minimus, qui deprendi queat, insidet humor.
29 Nobile Smyrnaeum juvat hic quoque, et utraque leucas,
30 alta sed eryngi radix addatur, ut aequae
31 cum gravida commixta simul libanotide sumas.
32 Hunc inconveniens non est nec desit ad usum
33 somniferum, ex omni quod inhorret parte, papaver
34 tam quod majorem quam parvum sustinet orbem.
35 Agrestis tenerum ficus etiam accipe ramum,
36 aut ex hac ipsa collectos arbore grossos,
37 qui prius ac alii jam maturescere fructus
38 incipiant, curvo apparent florere tumore,
39 sic asper strobilus, sic collecti e mare flores
40 verbasco, sic aegylopiisque, chelidoniaeque
41 trita juvant folia, aequali si parte bibuntur,
42 mixta quoque ex alba cum dauco tubera vite,
43 turpes quae maculas muliebri e corpore tollunt.
44 Talem sumpta etiam fert verbenaca salutem,
45 quae resupinatis expandit brachia ramis.
46 Aut virides frondes abigentis noxia rhamni
47 accipe, sola quidem haec jejuno mansa palato
48 talia defenso propellit toxica corde.
49 Scabrae etiam helxines decerptos collige ramos,
50 corchorum item, aut Latio cervinam nomine linguam,
51 et cum Lemnigena multum et bene contere milto,
52 quae certa est contra quodvis medicina venenum.
53 Hoc dat agrestis item cucumis radice juvamen,
54 quin etiam surgens foliis paliurus acutis
55 fructu saepe suo tristi pestem expulit alvo,
56 sicque ferens spinas coma, cirratique orobauchi.
57 Punici item sumas hyacinthina germina mali
58 coniventia adhuc, clausasque foventia gemmas,
59 donec quondam albo nunc undique flore rubescunt.
60 Et juvat hyssopus, quaeque est multo angulo onosis,
61 telephiique comae, et crescens in palmite botrus,
62 allii item nucleus cum montani coriandri
63 infuso fructu, aut tenerae folia ipsa conyzae.
64 Saepe recens etiam piper, et nasturcia tunde
65 persica, et aequali permixta haec porrige parte.
66 Florigerum quoque pulegium, et strumum, atque sinapi
67 hac victum exanimemque queunt te peste levare.
68 Notum et militibus porrum cape, et acre nocensque
69 interdum urticae semen, (qua laeta juvenus
70 assolet affixo vesti colludere ramo)
71 ac album scyllae caput, atque arentia bulbi
72 semina, et alterutrum, cui dat draco nomina, caulem.
73 Vulsosque asparagos simul ex Thamnitide rhamno,
74 quaeque virens silvis producit germina pinus,
75 accipe fortis item, quam scorpio nominat, herbae
76 radicem, ejusdem simulantem spicula vermis.
77 Amnicolasque sidas quas fert Psamathaeia tellus,
78 copaeumque solum viridantibus educat undis,
79 qua cita Schoenaei Cnopique fluenta feruntur.
80 Adjice amygdaleos facie referentia fructus

81 pistacia, horrisoni quae mittit terra Choaspi.
82 Caucalidesque una cum stringenti atque calente
83 myrtiadum succo baccarum. Junge salubris
84 ormini stipulas, umbelligerumque marathrum,
85 et silvestre cicer, viridemque simul baryodmen.
86 Talis item morbi sisymbria dulce levamen
87 praestiterint, et regia quae Campanaque sarta
88 dicitur, et suavem circum jaculatur odorem,
89 et patulae flores labruscae, rustica turba
90 quos legit, atque suum solita intra augescere fructum
91 utraque ceu lychnis rubicansque flore thryallis,
92 et gratae teneris violaeque rosaeque puellis.
93 Quin etiam multi vocitatam seminis herbam
94 demete, psillotrumque et purpureum hyacinthum,
95 quem tristi gemitu deplorans luxit Apollo,
96 formosum puerum viridis dum flore juventae
97 propter Amyclaeas imprudens perdidit undas,
98 actus ubi juvenis recidens in tempora discus
99 frangeret extrema collisum parte cerebrum.
100 Et tribus insignem foliis non setius herbam
101 atque Cyrenaicum commiscens accipe sucum,
102 tresque utriusque obolos aequae pendente bilance.
103 Vel referens cornu serpillum, saepeque crethmum,
104 et cyparissum herbam, simul annesum, lybicasque
105 radices tundens medicum fac et ebibe potum.
106 Cuncta ea commiscens alias, quandoque seorsim
107 singula cum vino, vel aceto, aut simplice lympha,
108 immo recente juvant etiam si lacte bibantur.
109 Sin proficiscentem peregre per devia lustra
110 te gravis illorum cujusdam prenderit ictus,
111 mox quascumque vides herbas, quodcumqueve semen
112 mande, et in acceptam, si expresseris, exspue plagam,
113 ut miseram fugias ex illo vulnere mortem.
114 Aerea tum laesae suffixa cucurbita parti
115 extrahat imbibitum saniosa ex carne venenum,
116 atque cruentato simul exterat ulcera tabo.
117 Vel tu manantes e ficu insperge liquores.
118 Aut candens ferrum media intra vulnera conde.
119 Immo tumens vino caprae tibi proderit utris,
120 si qua malum impressit feriens tibi bestia dentem.
121 Fortiter autem ictas intra utris concava partes
122 contine, et apprendens circumluat undique vinum,
123 donec ab his omnem constet traxisse dolorem.
124 Et sitibunda juvat si comprehendatur hirudo,
125 quae multum tandem saturo trahat ore cruorem.
126 Vel potes expressum caepae instillare liquorem.
127 Interdum veteris faecem vini vel aceti,
128 caprinumque fimum tumidae trita illine plagae.
129 Omnia nunc vero tibi contra vulnera ponam
130 insigne antidotum, tutam cui crede salutem,
131 has omnes si quando simul contriveris herbas.
132 Ergo potens praesto sit aristolochia, et odorae
133 iridis et nardi fibrae, fervensque pyrethrum,
134 quaeque alias prodest vel solo galbana tactu,
135 et similans nidum daucus, juxta albaque vitis
136 qua parte haeret humo, sic dicta a Paeone radix.

137 His nigrum elleborum, cum nitri conjuge spuma
 138 stante aequae librae trutina, pallensque cyminum
 139 adjiciens humilis frondentia sume conyzae
 140 germina, et agrestis commixto aequaliter uvae
 141 cortice collectas laurina ex arbore baccas,
 142 atque petitum apibus cytisum, tritamque chamelen.
 143 Eque caballino lichenem crure recisum,
 144 et gratum suibus sed virus piscibus orbem,
 145 quemque recentia jam fudere papavera sucum.
 146 Et castum semen, cinamumque et balsamon una,
 147 spondylion item, plenum quibus adde marini
 148 cymbiolum laticis, mixto aequa parte coaglo
 149 auriti leporis, tractoque e flumine cancro.
 150 Illa cavo mortario agas, tu cuncta terasque
 151 factis ex saxo pistillis, tusae aparinae
 152 expresso hinc siccata iterum quate turbida succo,
 153 uniusque dehinc pastillos pondere drachmae
 154 finge, trahens medio justas examine lances,
 155 quos demum arentes heminis inde duabus,
 156 infusoque mero rursus tere, et utere, quando
 157 sors tulerit, memor interea, qui talia scripsit
 158 Nicandri, frigente Clarus quem nutriit urbe.

NICANDRI POETAE ET MEDICI

II

ALEXIPHARMACA

PER EURICIUM CORDUM IN LATINUM CARMEN REDACTA.

N2_01 v.1 Quamquam majores sua quondam moenia nostri,
 2 quorum et nos de stirpe sumus, non urbibus istis
 3 vestrae Asiae junxere, meamque tuamque sit inter
 4 immensus patriam, qui nos disjungat, hiatus
 5 optime Protagora, salsis quia proximus undis
 6 tu mediam ursam habitas, sacri qua parte Lobrines
 7 sunt thalami, atque Attes celebratur, at ipse feracem
 8 incolo tellurem, quam magnae clara Creusae
 9 stirps tenuit, Clarius qua oracula reddit Apollo,
 10 non tamen ulla meum prohibent obstacula votum,
 11 quo minus adversus letale paranda venenum
 12 antidota, et diros dem propugnacula potus.

ACONITUM.

N2_02 v.1 Perspectum ergo cavens aconitum noris amarum,
 2 plena quod educens Acherontis ripa propagat
 3 qua Plutonicus est specus, irremeabileque antrum,
 4 e quo quantumvis festinus nemo redivit.
 5 Qua versa Herculeo Priolai moenia bello
 6 terribili streperam traxere fragore ruinam.
 7 Illius horribilis totum os adstringit amaror
 8 maxillas, dentes, gingivas, labra, palatum,
 9 praecipuumque statim membrum, cor scilicet ipsum,
 10 impetit, atque malo properans errore vagatur,
 11 maerentemque hominem cruciante dolore fatigat.
 12 Summum ventriculi siquidem os divellitur, id quod
 13 cor quoque dixerunt aliqui, et quadam quasi porta
 14 clausa coarctantur luctanti viscera motu,
 15 plurimi item crepitus infraque supraque feruntur,
 16 et madidus toto promanat corpore sudor.
 17 Invisum caput urget onus, tumidaeque resultant
 18 temporibus venae, duplex capit omnia visus.
 19 Non secus ac alta temulentus nocte, velutve
 20 cornigeri altores Bacchi, ebria turba, Sileni
 21 expressae mentem suffusi potibus uvae
 22 turbida diverso detorquent lumina ductu,
 23 atque labante genu, nutanteque corpore toto
 24 per Nisaea inopes animi declivia currunt.
 25 Sic hebetes oculos habet hac qui peste gravatur.
 26 Illud idem quidam dixere myoctonon, ut quod
 27 gustantes soleat prope fontes perdere mures.
 28 Quidam alio appellant id nomine pardalianches,
 29 monstruoso quod huic animanti rustica turba
 30 interitum struat, hanc si quando objecerit herbam,
 31 per juga frondosae Phalacraeis vallibus Idae.
 32 Saepeque thelyphonon, nec non et cammaron, illud
 33 femineum dicunt Aconaeis crescere saxis.
 34 Hoc tibi ne noceat malum, inexstinctae accipe calcis
 35 quantum plena tenet manus, atque rubente lyaeo
 36 commisce, unde replens cotulam mensura bibatur.
 37 Aut pulchrum abrotoni caulem et decerpta virentis,
 38 germina marrubii, quod jam dicunt meliphyllon,
 39 atque in frondifera natos oleagine flores,
 40 et gracilem reseca rutam, et mixto ebibe melle.
 41 Vitigena candens quoque ferrum exstingue liquore,
 42 vel quae stillat idem calido excrementa camino,
 43 sicque novam argenti sive auri denique massam.
 44 Dimidiatum humilis piceae quoque sume manipulum.
 45 Montanae socius cui sucus onitidos adsit,
 46 sive polycnemi modo natam contere virgam,
 47 quattuor et cyathis melliti porrige vini.
 48 Imo medullarem contrito passere potum
 49 accipe, ubi densa volucrem concoxeris olla.
 50 Et juvenis vituli pingui jam mollia callo
 51 cornua rescindens sumpto bene concoque vase,
 52 atque illa vescens offa tua viscera pasce.
 53 Quin etiam humano vel equino balsama lacti
 54 misce aliquot guttis, et eundem porrige potum.

55 Proderit is tum si crudorum onus ante ciborum
 56 sumpturus vomitu per collum effuderit aeger.
 57 Saepe etiam patulis oculis dormire solentis
 58 pensicula catuli tenerique coagula cervi,
 59 Lenaeoque terens potanda liquore propina,
 60 sic Aegyptiacae radices contere fici,
 61 et mixto coctas da vino apiumque labore.
 62 Quae si sollicita modo feceris omnia mente,
 63 invisum poteris, dominumque avertere morbum.
 64 Redditus ut rursus sibi vitam proroget aeger,
 65 et valido quocumque libet se corpore sistat.

CERUSSA.

N2_03 v.1 Nunc mala damnosae cerussae pocula pende
 2 spumanti similis lacti cum tempore verno
 3 suppositas rauco pressum replet impete mulctras.
 4 Haec data spuma statim multum adstringente vigore
 5 infectum tenet os, subeunti frigore siccae
 6 gingivae arescunt, crispanteque pelle trahuntur.
 7 Aspera lingua scabret, flaccae prope guttura glandes
 8 deficiunt, nullamque cient e fauce salivam,
 9 cassaue tussis obit, pigra pondere lumina nutant.
 10 Interea crebros homo sursum expellere ructus
 11 auditur, labat, oppletaque extenditur alvo,
 12 et grave turbata queritur ratione cerebrum,
 13 vanaque vel media phantasmata luce videri.
 14 Nauseat, et tristi gemitus e pectore ducit.
 15 Interdum obrepens oritur cum frigore somnus,
 16 torpet iners motus, languentia membra fatiscunt
 17 officium pertaesa suum, et nisi protinus adsit
 18 praesens auxilium, tandem dominante dolore
 19 succumbens Stygias aeger descendet ad umbras.
 20 Utilis hoc contra bibitur medicina venenum,
 21 Palladia placidum quod nuper fronde liquamen
 22 premadia, aut orchas, myrtinave coxit oliva,
 23 lubricus ut venter rursus mala pharmaca reddat,
 24 seu distenta premens tenerae celer ubera vaccae
 25 pingue natante dabis lac cum cute tristibus aegris.
 26 Aut tu mollificae reseca et tere germina malvae,
 27 expressumque homini potandum porrige sucum.
 28 Tusa etiam mixto sic praebe sesama vino,
 29 sic et combusto cinerem de palmite sume,
 30 atque superfusa turbatum perlue lympham,
 31 hinc angusta novae cola per vimina sportae,
 32 verum interposito de lini stamine panno,
 33 ut seclusa simul descendere crassa vetentur,
 34 limpida hinc penetrat, bibitus qui proderit, humor.
 35 Non secus huic etiam possunt succurrere damno
 36 palladio triti bibitique liquamine nuclei,
 37 quos olim alatus volitansque per aera Perseus
 38 coephaea elatis pedibus tellure relicta,
 39 quando Medusaeum curvo caput ense putasset.
 40 Intulit antiquis Cephei nova dona Mycenis,
 41 ad viridem cecidit qua parte Melanthidis arcem

42 praeceps ex alto capulus, Langaea ubi nympha
 43 exhibuit nato Jovis ipsi pocula Perseo.
 44 Saepeque Gerraei ramis circumflua turis
 45 lacrima, cum tosti Ptisana tibi proderit hordei,
 46 et destillantem atalymno, ulmo et nuce guttae,
 47 quas rite immixtas tepido liqua et offer Iaccho.
 48 Ut quaedam vomat, et quaedam per balnea solvat,
 49 cum madido elicitus manarit corpore sudor.
 50 Oblatoque cibo languens se recreet aeger,
 51 pingueque nonnumquam vinum bibat, ac erit ut mox
 52 paene resecta novo reparet sibi stamina penso.

CANTHARIDES.

N2_04 v.1 Nec tu frugisecam, piceum quae reddit odorem,
 2 cantharidem pota, quia talem imitata resinam
 3 plenas illa trahit nares, et dentibus ipsis
 4 infecto cedriae sapor obversatur in ore,
 5 morsaque labra dolent, alias extrema superni
 6 janua ventriculi, contortaue vellitur alvus,
 7 atque cruentam acer vesicam supprimit angor,
 8 multa coarctatum stringitque angustia pectus,
 9 subsidensque cibi coquus ima ad viscera tendit.
 10 Redditur impatiens mutatis moribus aeger,
 11 ut pulsa ob tantum mente et ratione dolorem
 12 lamentabilibus cadat intereatque querelis,
 13 qualis in horrenti spinarum pappus echino,
 14 quem violenta rapit per inaneque dissipat aura.
 15 Huic propere ut medeare malo, frugale subinde
 16 pulegium dulci nympharum munere funde,
 17 jejunae et Cereris facto aegris porrige potu,
 18 haec quo diva suas apud Hippothoonta rigavit
 19 fauces, Threiciae numerosum ad carmen iambes.
 20 Praeterea juvenis capraeve, suisve, vel agni
 21 decocto capite, aut etiam ansere pingua jura,
 22 quae tamen adjecto lini sint lubrica fructu,
 23 offer, ab oppleto dum surgat nausea ventre,
 24 mox ubi tunc imo sederunt omnia fundo,
 25 infimam adusque gulam, crudas dum senseris escas,
 26 inserto vomitum proritans indice produc.
 27 Saepe etiam infernis ovium lac partibus inde,
 28 et sic multa trahes mollem excrementa per alvum.
 29 Non minus id praestat sumptum per labra juvamen.
 30 Pampineas etiam viridi de palmite frondes
 31 accipe, et infuso potandas melle propina.
 32 Quin et acuta inter petras radícula prodest.
 33 Cujus perpetui fronde apricantur aculei,
 34 sed dulces apium tusae superadde labores.
 35 Illius herba velut molothurus floret, et altis
 36 conspicitur ramis, gracilique assurgere caule.
 37 Quattuor et Samiam drachmarum pondere terram
 38 intere quam fruticans intra sua viscera Phyllis
 39 Imbrasidem juxta fovet educitque fodinam,
 40 et quam Chesiadas aries docuisse puellas
 41 fertur, ubi gelidus juncosis Carcetus undis.

42 Postquam etiam passis vinum confeceris uvis,
 43 da duplicem potum, et castam simul injice rutam.
 44 Pinguis eis pariter partem miscendo rosacei,
 45 aut etiam Illyricam redolentes irida sucos.
 46 Hoc valde antidotum valet, et mala pocula vincit.

CORIANDRUM.

N2_05 v.1 Quod si noxia quis biberit coriandra, repente
 2 ablato exagitur sensu, stridenteque voce
 3 edit acuta velut furiosae jubila Bacchae,
 4 seu Stygiae injecto quasi percitus angue Megaerae.
 5 Contra haec ex dulci da Pramnina vina racemo,
 6 ut madido spumans fudit vindemia praelo,
 7 diluat infuso tamen haec maris unda catino.
 8 Quin et inanitis, gallinae partubus, ovis,
 9 confractis salsam testis superinice spumam,
 10 qua vescens cepphus se servat et interit esca.
 11 Piscantes pueri strictis ubi fraudibus illi
 12 insidiantur avi, sic ut capiatur ab his, dum
 13 albatem sequitur non provida in aequore spumam
 14 quin etiam tumidis aegrum submerge procellis,
 15 quas una cum flammivomo Saturnius igne
 16 Aeoliae jussit parere tridentifer aulae.
 17 Immissis siquidem devictus flatibus ignis
 18 cedit, et ambo timent dominos obnoxia ventos.
 19 Ipsum autem rapidis metuendum fluctibus aequor
 20 subjectis nautis, et navibus imperat, et vim
 21 infert, infesto sed silva obtemperat igni
 22 juxta quem genitrix statuit natura tenorem.
 23 Hunc etiam poterit penitus sedare laborem
 24 mixtum vino oleum, vel dilutum nive mustum,
 25 quando legit cantans maturos vinitor uvas,
 26 et spumosa sonat plenis vindemia labris,
 27 tunc ubi mellilegae circa humida praela volucres,
 28 vespaque, pemphredonque, et monticolae bembyces
 29 delicias tortiva suas acinosque sequuntur,
 30 callida quando secat nitidos vulpecula botros.

CICUTA.

N2_06 v.1 Deinde malae observa letalia pocula cicutae.
 2 Haec siquidem caecae capiti infert sumpta tenebras,
 3 atque cadauca oculis celeres vertigine gyros,
 4 ut titubante gradu, et pronus palpantibus aeger
 5 prorepat manibus, clausas angustia fauces
 6 strangulat, et summos frigans subit horror in artus,
 7 contractaeque silent et ducunt otia venae,
 8 ille autem modicum stricto trahit aera collo,
 9 et crebro exanimis singultu vellitur, inde
 10 horrida terribilis visurus limina Ditis.
 11 Oblato hunc oleo sincero sive Lyaeo
 12 imple, ut luctificam mox lubricus evomat Aten.
 13 Sive per infernas clysteribus utere partes.

14 Saepe et forte merum, vel summi germina dauci,
 15 Thessalicaeque comas languenti porrige lauri,
 16 quae fluidos Phoebi redimivit prima capillos.
 17 Seu mordax piper, ac urticae fervida sume
 18 semina, et austero da turbida vina liquore,
 19 sic et odorifera quae synthesis iride constat,
 20 ac Cyrenaicus nitida cum Pallade sucus
 21 proderit, et dulcis pariter data pocula mulsi,
 22 juncta quibus pinguis fuerit cutis extima lactis,
 23 quam modico leni super igne in vase resolve.

TOXICUM.

N2_07 v.1 Pellere nunc etiam perimentia toxica disce,
 2 quando suis hominem misere cruciatibus angunt.
 3 Crassa fit illius juxta imum lingua recessum,
 4 turgida labra calent, mox arida sputa sequuntur,
 5 atque recedentes inferna parte dehiscunt
 6 gingivae, eque sua luxae statione moventur,
 7 Cor stupet, omnis abit sensus, turbataque mens est.
 8 Hinc rabida innumeras edit vesania nugas,
 9 clamosoque dolens homo vociferatur hiatu,
 10 secta velut trunco vellatur corpore cervix,
 11 nec secus ac magnae matris furiosa sacerdos
 12 nona sacrificans mensis per compita luce
 13 longum terribili circumsonat ore boatum,
 14 quem prope percipiens per montes turba tremiscit
 15 non aliter rabido miser ejulat ille furore,
 16 et trucium fugiens ululat de more luporum
 17 obliquisque, ferus ceu taurus, atrociter hirquis
 18 prospicit, ac nudo fremibundus dente renidet.
 19 Hunc bene complicitis devinctum nexibus ambi.
 20 Infusoque statim thoracem prolue vino,
 21 atque vel invitum satia, mansuetaque verba
 22 da furienti homini, ac inserto stipite frendens
 23 fortiter os aperi, ut dirum mox evomat haustum,
 24 vel tu pascentis tenerum anseris accipe pullum,
 25 et coque, et austerae cui montes patria, pomi
 26 silvestrem (fuerit mundus tamen a cute) librum,
 27 vel cape plantatos nascentia mala per hortos,
 28 ludicra quae pulchris fert aestas dona puellis.
 29 Aut etiam gravida struthia ex arbore carpe,
 30 atque adstringenti laudata cydonia succo,
 31 quae riguo dives produxit Creta recessu,
 32 atque haec tusa probe fluviali perlue lympham,
 33 mixtaque pulegii ramis simul omnia tunde.
 34 Praeterea sumpta redolentis parte rosacei
 35 in bibula, instillans os, ut bibat illine lana.
 36 Hunc etiam praestans valet iridis unguen ad usum.
 37 Sic aegre et multo tandem post longa labore
 38 tempora, vix tremulis languens incessibus ibit,
 39 attonitumque geret non certo lumine visum.
 40 Illo Gerrhaeos Euphratis ad arva colonos
 41 humanam in caedem sua tingere spicula dicunt.
 42 Sic quia tinctorum ferunt haec immedicabile vulnus,

43 quod nigram fovet hinc carnem, sub ea acre venenum
44 putrescit, foedoque cutis sudore fatiscit.

EPHEMERON.

N2_08 v.1 Si vero invisum Medeae Colchidos ignem
2 incauto quis atrox potarit ephemeron ore,
3 aspera ceu quodam pruritu labra queretur,
4 nec secus ac caesae ficus albente liquore,
5 et velut affrictos urtica sentiet artus,
6 sive calescentis praegnantis vertice scyllae,
7 quae ciet in tenera quasi flammae incendia carne.
8 Hinc mala ventriculum gravitas incessit, et urget
9 ad crebrum vomitum, et letali protinus igne
10 ulcerat, ut foedum regerat per colla liquorem
11 a lotis qualem coquus effert carnibus imo
12 tetrica commotam jacet excrementa per alvum.
13 Hoc contra medicina malum tibi quercea frons est,
14 fagineaeque, pari si sumas pondere, glandes.
15 Sive recens asinae aut vaccae lac offer, eoque
16 se languens satiet, plenumque os colluat aeger.
17 Appellatum etiam sistendo a sanguine germen
18 atque novo ejusdem lacti juvat indita radix.
19 Quin etiam intritus fluviali pampinus undae
20 aequalique rubi commixtus pondere ramus.
21 Insuper hirsutis horrentes exue tectis
22 castaneas, plena quas Castanis arbore profert
23 terra nuces, una cum cortice deinde sequenti
24 da mediam huic tunicam clausae quae proxima carni est.
25 Imae etiam ferulae prodest exempta medulla,
26 quae tenet astripetae vulcania furta Promethei.
27 Adstringentis item baccas tibi collige myrti
28 hisque e Puniceis extrema putamina malis
29 adjice, et infuso potum ex his confice vino,
30 quo procul infestum possis dispergere morbum.

IXIAS.

N2_09 v.1 Nec gravis ulophoni te noxia pocula fallant,
2 quae labiis gustata tuis qualem ipsa saporem
3 ocima praesentant, extremaeque intima faucis
4 principia exasprant, et acutis ignibus urunt.
5 Turbatumque animo vesania destruit aegrum,
6 ut linguam freudente suam praemordeat ore
7 sublata attonitus ratione, et utrosque meatus
8 obturans flatus tenet, altaque murmurat alvus,
9 qualia nimbo est audire tonitrua caelo,
10 saepeque ut illis scopulis sonuere procellae.
11 Hoc ita detentus dum ringitur ille veneno,
12 anxia constricto suspiria pectore ducit.
13 Atque adeo urgenti reicit per viscera potu
14 consimiles grumos nondum durentibus ovis,
15 qualia concumbens gallis pugnacibus ales,
16 nempe rudes globulos incoctaque pignora fundit.

17 Sic adfecto homini diluta absinthia possunt
 18 cum nuper presso cruciatum tollere musto.
 19 Lenta potest etiam terebinthi obstare resina.
 20 Ipsa etiam piceae tristis quoque lacrima pinus,
 21 a qua detractam demens tibi Marsya pellem
 22 victor promerito quondam suspendit Apollo.
 23 Hinc ea adhuc arbor per opacos sola recessus
 24 nobile conqueritur lugubri murmure fatum.
 25 Da quoque ei maris ac mures auferre solentis
 26 collectos polii cum rutae germine flores.
 27 Sic et spectantem Syriae confinia nardum,
 28 atque cape amnicola rescissum e castore testem.
 29 Seu Cyrenaici cultello rade liquoris
 30 quod levat aequatum drachmae pars tertia pondus.
 31 Sic et habens olidi cognomen origanus hirci,
 32 concretive juvat metae instar copia lactis.

SANGUIS TAURI.

N2_010 v.1 Sin errans aliquis taurinum forte cruorem
 2 sumpserit, illaeto gemit afficiturque dolore.
 3 Quandoquidem internis ubi venis ille propinquat,
 4 condensatur, et in media concernitur alvo.
 5 Clausa hinc spirituum via, ademptus anhelitus intra
 6 impletum guttur prohibetur, et anxius aeger
 7 volvitur in terram, spumanteque palpitat ore.
 8 Contra hoc sume malum viridantis germina fici,
 9 quae superinfuso madefacta rigentur aceto,
 10 et modicam misce, quae potum temperet, undam.
 11 Irritanda etiam est ficulno cortice sedes.
 12 Dandaque vel capreae tenerive coagula cervi
 13 aut celeris leporis, raro quae stamine rite
 14 colaris, certam poterunt haec ferre salutem.
 15 Vel bene contritum da drachmae pondere nitrum,
 16 idque suo suavis dono contemperet Evan.
 17 Ipsius et laserpici, et lecti inde liquoris
 18 aequalem partem, quod et edit brassica semen
 19 accipe, et admixto fiat tibi potus aceto.
 20 Aut humilis satura languentem caule conizae.
 21 Quin etiam tritum piper et collecta ruborum
 22 semina contundas, isto certissima pacto
 23 antidota adversus talem te crede cruorem
 24 composuisse, omnes quibus intra viscera grumos
 25 solveris, ut vegetae pateant spiracula vitae.

BUPRESTIS.

N2_011 v.1 Nosse etiam invisae buprestidis acre venenum
 2 convenit, et domitum qui affligat et opprimat aegrum.
 3 Haec alio aspergens sumentis labra colore
 4 nitrosum infecto graviter cit in ore saporem,
 5 et facit eroso non suavia tormina ventre,
 6 quorum vel solo est cruciatus cernere vultu,
 7 obstruit urinas, ima hinc vesica laborat,

8 et tumet inflatus sicco velut hydrope venter
 9 per mediasque effert umblicum insumine sordes,
 10 ac levat extensam sursum circa ilia pellem,
 11 saepe pigram haec vaccam, vitulum quandoque salacem
 12 perdit, pascentes sua quando armenta magistri
 13 discernunt, et ob id buprestem nomine dicunt.
 14 Hic coctum siccis cum ficubus accipe vinum,
 15 immo sua abscissos ipsos a fronde minutim
 16 contere, et elixa, dulcemque hinc porrige potum.
 17 Certa calentis enim fuerit medicina veneni.
 18 Sive recente reple non magnum lacte catinum,
 19 et tenerum misce victrice ex arbore fructum,
 20 vel montanorum praebe genus omne pirorum,
 21 interdumque ipsas in vinum conice myrtos.
 22 Et se femineum, qualis puer, aeger et uber
 23 admoveat, prensasque tenax trahat ore papillas,
 24 ut petulans, vitulus fetae qui femina matris
 25 pulsat, et haud tacitis cit dulcia flumina labris.
 26 Saepe etiam pressae succo satietur olivae,
 27 inde vel invitus vomat, imae ad concava faucis
 28 immissa penitus pennave manuve, juvatque
 29 flexile concisi folium sic indere libri,
 30 quod trahat ex alto sursum mala pharmaca ventre.

LAC COAGULATUM.

N2_012 v.1 Forte recens si lac, cui mixta coagula, sumat
 2 imprudens aliquis, praesuffocatur, ei tres
 3 da potus, acris quorum sit primus aceti,
 4 Lenaei reliqui constant duo munere patris.
 5 Aut etiam Libyci radices intere silphi.
 6 Saepe Cyrenaici modicum dissolve liquoris.
 7 Quin etiam mollem potes admiscere conilam,
 8 vel similem musco, qui crescit in aequore spicam
 9 e redolente thymo, sic et prodesse probatur
 10 eucnemi bibitus cum terrae sanguine botrus.
 11 Interdumque illos sparsere coagula grumos.
 12 Rugosaeque comae quas fert Plutonia pellex,
 13 mellilegisve adeo dilecta volucris herba,
 14 si superinfuso riguae potentur aceto.
 15 Nunc age potati mala contemplare dorycni
 16 cui plane similis lacti faciesque saporque.
 17 Qui bibit insuetis quatitur singultibus aeger,
 18 sanguineumque cibum vomit, et mucosa per alvum
 19 defertur pituita, velut si tormina vexent,
 20 aut excernendi frustra irritata cupido.
 21 Jam tunc arenti profligitur ille dolore,
 22 et labefactato strepit et se corpore volvit.
 23 Arida nec multum desiderat ora rigari.
 24 Contra tale malum data lactis copia prodest,
 25 salsius aut miscens in potu porrige passum.
 26 Praeterea pinguis carnes e pectore capi
 27 commodus illarum est sucus quoque, quotquot et alti
 28 beluae aquas habitant maris, et muscosa pererrant
 29 litora, quarum aliis crudis, coctisque quibusdam

30 vescatur, rapido possunt quaedam igne foveri.
 31 Sed multo tamen ipsa magis conchylia prosunt,
 32 suavis item calches, pinnae atque rubentis echini
 33 sana caro est, patulique ctenes, non ipseque ceryx
 34 desit, et arrosis solita algis crescere tethe.

PHARICON.

N2_013 v.1 Nunc cave, potatum ne vitae pharicon obsit,
 2 hoc similem nardo noris praestare saporem,
 3 et tremulos homines rabida convellere mente,
 4 uno adeoque die Stygio demittere regi.
 5 Contra hoc emulsam certo da pondere nardum,
 6 scorteus antiquum cui nomen sacculus indit,
 7 quam Cilices edunt prope Cestri flumina montes.
 8 Et bene contusum Smyrnaeum saepe juvabit.
 9 Ipsam praeterea languentibus irida praebe,
 10 florigerumque caput, cui non propensa Dione est.
 11 Propter praelatae temere certamina formae.
 12 Hinc mediis ejus foliis turpissima probra
 13 indidit, informes, asinina puta inguina, clavas.
 14 Sumpta etiam, cui facta acies sit acuta, novacla
 15 totum rade caput, liquentiaque hordea nuper
 16 jacto flore, una et foliosum germen inunge,
 17 et croceos castae flores tibi collige rutae,
 18 (cui contraria dans alimenta eruca resistit)
 19 ac acido bene contritos per funde liquore,
 20 inde line hanc liquidam circa utraque tempora pultem.

HYOSCYAMUS.

N2_014 v.1 Ne quis item incauto non prudens ore nocentem
 2 sumat hyoscyamum, puto non minus esse monendum,
 3 ceu fatui pueri, qui jam nutrice relicta,
 4 et primis positus cum infante aetate capillis
 5 jam non quadrupedes proprio procedere nisu
 6 incipiunt, multo quod non potuere periclo,
 7 harum ignorantes quoniam illi incommoda rerum
 8 conspicuam nocuis degustant floribus herbam,
 9 atque terunt nato nuper mala semina dente,
 10 hinc tumidas misera gingivas voce queruntur.
 11 Hoc adversus erit bona lac medicina venenum,
 12 interdum Graecum quod dicunt nomine faenum
 13 accipe, curvatis insignem cornibus herbam.
 14 Quae tum majorem narratur habere vigorem,
 15 si bene Palladio perfusa liquore natarit.
 16 Vel calidae fervens urticae contere semen,
 17 vel cruda ejusdem folia herbae mande, vel ipsum
 18 ex his contusis expressum collige sucum.
 19 Denique cichorium, et nasturcia, persaeumque
 20 accipe, et omnibus his aequali pondere misce
 21 eliciens lacrimas semen, similique vigore
 22 praedita caeparum praesegmina, ructificique
 23 taleolas raphani, Latiae haec radícula genti est.

24 Hoc etiam adversus vidi prodesse venenum
25 multifidi caput, in vino si sumitur, alli.

OPIUM.

N2_015 v.1 Inde soporatos opio respexeris aegros,
2 summa quibus friget cutis, et pigra lumina nutant,
3 stillat odoratus sudor, pallensque laborat
4 corpus, et ignito velut ardent labra calore
5 malis visa suis laxos demittere nexus.
6 Parvus item et frigans e gutture spiritus exit,
7 obtortae apparent nares, fit lividus unguis,
8 atque latescentes oculi sua in antra recedunt,
9 quae certam tibi signa queunt portendere mortem,
10 quae tamen omnia non metue, imo sit tibi curae
11 illi qua ratione queas succurrere pesti.
12 Dulci itaque exsanguem reple calidoque lyaeo.
13 Quin et Hymettidum opus tere commisceque volucrum.
14 Quae procumbentis nemorosa in valle juvencae
15 e putrido fiunt vegetata cadavere proles,
16 namque cava hic primum posuere cubilia quercu,
17 et ferventi una lectae incubuerelabori,
18 digestosque favos Cereri fecere vehentes
19 indutis pedibus thyma, florentes et ericas.
20 Suavis item lana modicum quid sume rosacei
21 indeque diductis adaperto dentibus ori,
22 si gravior mersos sopor illius occupet artus,
23 tunc quantum sat erit trahe, velle, ferique, jacentem,
24 saepe etiam constans ex iride inunge liquamen
25 nunc clamans, nunc impellens, ut languidus ille
26 excutiat nocuum vitali a sede veternum,
27 atque malum regerat stomachi conatibus haustum.
28 Et viles oleo vinoque intingere vestes
29 proderit, et gelidum admotis circumdare corpus,
30 et fac ut impleto saepe intret balnea labro,
31 ut calidae in grumos concreti sanguinis undae
32 disiciant, fotis unguentum hinc illine membris.

LEPUS MARINUS.

N2_016 v.1 Quod si fluctivagi leporis letale venenum
2 deprendas, foedum qui sumpserit halat odorem
3 qualiter exemptae reliquo cum viscere squamae,
4 vel putridi quod olent neque loto corpore pisces,
5 talis et immundo sapor obversatur in ore.
6 Porro sordidus hic lepus ut natalibus undis
7 editus est, timidae forulis se teuthidis abdit,
8 ceu genita ex illa proles vel sepia is esset,
9 quae vitream, si quando peti se senserit, undam
10 felle suo atque adeo quadam nigredine turbat.
11 Post bibitum hoc virus viridis stagnantia fellis
12 excrementa manent, tenebroso lumina visu
13 caligant, liquidaequae abeunt in corpore carnes.
14 Nausea adest, tumet alta cutis, talique calescunt.

15 Subque cavis oculis roseo fucata rubore
 16 apparet facies, sistensque urina moratur,
 17 quae nunc purpureo, nunc sanguineo esse colore
 18 cernitur, et quemcumque videt contemnere piscem
 19 assolet aversans, ut quaelibet aequoris, aeger.
 20 Contra hunc Phocaicum veratri porrige potum
 21 elicitasque recens carpti lacrimas colophoni.
 22 Perniciosa mali et compescas pharmaca piscis.
 23 Interdum enixae mulsum lac potet asellae.
 24 Insuper elixae da lubrica muscula malvae.
 25 Tum quoque cedrinae viginti grana resinae.
 26 Punicei interdum, cui Creta est patria, mali
 27 formosum poterit potu aeger sumere fructum.
 28 Oenopesque, et quod Promenium nomine dicunt
 29 Aeginetin item, et tenui quaecumque rubentes
 30 et duras cute habent mollique putamine crustas
 31 quandoque exemptas gravidis e vitibus uvas
 32 exprime fiscella, novae ut excolantur olivae.

HIRUDO.

N2_017 v.1 Sin sitibundus homo est, cui, proni ubi more juvenci
 2 porrecto optatum procumbens gutture potum
 3 attrahit, aut sera non cernens nocte petito
 4 vase bibit, simul hausta intus rapiatur hirudo,
 5 saepe suae sentit non parva pericula vitae.
 6 Quandoquidem prensae sugens se bestia carni
 7 applicat, et vegetum trahit alto ex corpore sucum,
 8 aut etiam extrema pendens in fauce moratur,
 9 angustasque animae tenet ad praecordia portas,
 10 aut imae suffixa gulae praecludit eunti
 11 in subjecta cibo declivem viscera lapsum.
 12 Tum fusum patera confestim potet acetum,
 13 sive nivalis aquae gelido sese irriget haustu.
 14 Saepe et Hyperboreo concretam flamine crustam
 15 porrige, vel sumptam salsuginis intere glebam,
 16 hincque salutarem conturba et confice potum.
 17 Ipsum saepe salum ferventi sole vel igni
 18 coge, vel effossum pariter sal sume, vel albam
 19 ejusdem spumam, quam qui sal suffodit imo
 20 colligit in fundo, quando undae infuderit undam.

FUNGI VENENUM.

N2_018 v.1 Nec te ortum tellure malum Zemona fatiget
 2 pectore saepe tumens, suffocans gutture saepe,
 3 quod prope vipereis attritum tractibus antrum
 4 enatum diro vibratum ex ore venenum,
 5 atque graves in se vicinum sorbuit auras.
 6 Communi fungos appellant nomine, verum
 7 diversae species diversa voce feruntur.
 8 Contra hos inflexum raphani caput optima cura est.
 9 Aut involventes viridantia brachia rutae,
 10 sic et in aeriferis glacies concreta metallis

11 qua tingens corium cogit nigrescere sutor.
 12 Mixto et clematidis cineres mox offer aceto.
 13 Aut tritam ardentis radicem immerge pyrethri,
 14 vel nitrum, et crescens scisso nasturcium in agro.
 15 Medicum item malum, et faciens lacrimare sinapi.
 16 Insuper ex acido potandam trade liquore
 17 tostam, quam fundunt vini tibi dolia, faecem,
 18 sive domesticae avis lecta excrementa propina.
 19 Insertaque manu postremi faucibus oris
 20 abs te irritato tristem vomitu ejice mortem.

TRANSPOSITUM EST HUC A FINE HOC REMEDIUM.

1 His invisae etiam Dictynnae proderit arbor,
 2 quae numquam Imbrasiae Junoni facta corona est.
 3 Namque sub umbrosae quando olim collibus Idae
 4 suscepere suae divae certamina formae
 5 myrtea victricem cinxeruntserta Dionem.
 6 Sume ab aquosa igitur myrti rubicantia silva
 7 grana, vel hibernae crescentia flatibus aurae
 8 Phoebeae radiis excocta et fota quadrigae
 9 et pressum ex tritis per colum trajice sucum,
 10 ac parvam cotulam capienti infunde catino,
 11 vel majore etiam cyatho, neque enim nocet, ultra
 12 si quis acetabli mensuram porrigat, imo
 13 iste salutaris procul arcet noxia potus.

SALAMANDRA.

N2_019 v.1 Sin tibi summa malae nocuere venena lacertae
 2 nempe emittentis liquidum sucum salamandrae,
 3 cui nullus poterit fumusve ignisve nocere,
 4 continuo stupido lingua inflammatur in ore,
 5 et subito torpet languore, malique tremores
 6 frigida concutiunt solvuntque in corpore membra,
 7 ut quadrupes pronus, pueri instar, inambulet aeger,
 8 usque adeo obtusum est, et hebescit mentis acumen.
 9 Multa etiam in summa vibex cute livet, et inde
 10 imbibitum infecti perstillat saepe venenum.
 11 Hic lectum piceae tenthrenes munere fletum.
 12 Confice, vel viridem, quam profert ajuga, silvam,
 13 coniferaeque simul nucleos huic adjice pinus,
 14 vel calidae fervens urticae contere semen,
 15 contusique mola permixtam ervi adde farinam.
 16 Ipsam etiam urticam, simul arida et hordea pingui
 17 misce oleo, et facta languentem pulte sagina.
 18 Praesentem quoque praestat opem collecta resina,
 19 et sacer Hyblaeae vomitusque laborque volucris,
 20 imaque qua terris infixae est galbana parte,
 21 nec non nata recens tardae testudinis ova.
 22 Pinguis item confert mactati axungia porci,
 23 cui coctum aequoreae partum testudinis adde,
 24 quae summos tranat fluctus velocibus alis.
 25 Accipe non numquam vel sola, ubi cetera desunt,
 26 montanae et cytiso pastae testudinis ova,

27 quam, cum muta prius fuerit fecisse canoram
 28 fertur progenitus Maia et Jove filius olim.
 29 Inclusis siquidem spoliavit carnibus ille
 30 quadrupedem et vario pictam fabre ordine testam.
 31 Atque duos summis cubitos adnexuit armis.
 32 Immo coaxantes deprensens confice ranas,
 33 et vulsam eryngi radicem junge, deinde
 34 sufficiente coquens scammoni parte remolli,
 35 hocque cibo vel jam dispersam collige vitam.

RUBETA.

N2_020 v.1 Sin nocuae aestivo mala tempore pocla rubetae
 2 quis bibat, aut mutae simili quasi imagine ranae
 3 quae densos frutices venienti vere frequentat,
 4 et vitreum pascit lingendo noxia rorem,
 5 aspicitur viridi sua pingi membra colore
 6 inficiente velut, quam Thapsus protulit, herba,
 7 et subeunte statim languens incenditur aestu.
 8 Atque frequens arto vix gutture spiritus exit ;
 9 horribilemque altis e faucibus efflat odorem.
 10 Huic tu raninas elixa et porrige carnes,
 11 aut suavi piceum vino conjunge liquamen.
 12 Praeterea apprensae splen cura est optima ranae,
 13 quae colit algosae ripas clamosa paludis,
 14 primaque florigerum rauco ver nuntiat ore.
 15 At quae muta silet calamisque et arundine gaudet,
 16 offundit viridem ceu buxi membra colorem.
 17 Tristi os bile replet, crebri quoque corde dolentem
 18 singultus aegrum quatiunt, et labile semen
 19 spargitur, atque utrumque vetat generare parentem.
 20 Sic affecto homini mera vini pocula funde,
 21 utque vomat, quamvis invitum coge, foveque
 22 in calido, donec sudarit toxica, labro.
 23 Quin et arundineas vino tere tradeque fibras,
 24 quas suus extrema lacus enutrivit in unda
 25 qua tenues fluitant, turba olim rustica, ranae.
 26 Sic et odorati radicibus utere junci,
 27 quem distinguenti quadratum nomine dicunt.
 28 Ipsum etiam aegrotum pallente fameque sitique
 29 extenua, et multo fac contabescere motu.

SPUMA ARGENTI

N2_021 v.1 Non invisae etiam cruciansque argentea spuma
 2 te fallat, quae sumpta tuam male vellicat alvum.
 3 Namque revolventes sese sub sumine flatus
 4 instrepitant, ut vix medicam admittentia curam
 5 tormina, quae magnis hominem cruciatibus angunt.
 6 Nec suus urinae patet exitus, omnia membra
 7 ardent, et nigricans imitantur livida plumbum.
 8 Hic modico praebe contritam pondere myrrham,
 9 quod duo sustollunt oboli, quandoque recentem
 10 hormini potum, montanam saepe hypericon.

11 Interdum ramos hyssopi, quin et agrestem
 12 nonnumquam ficum, ac apii penetrabile semen,
 13 Isthmia quam norunt herbam certamina, quando
 14 alta Corinthus (ubi priscis dominata sub annis
 15 Sisyphia est proles) sit facta hinc usa corona
 16 exhibitis ludis, quibus obruto aquis Melicertae
 17 claro Inus puero funebria justa celebrat.
 18 Accipe item fervens, quod protulit Irio, semen.
 19 Rugosumque piper stante aequa examine lance,
 20 daque suavi intrita mero, et letale venenum
 21 discuties, florentis ad haec muscosa ligustri
 22 germina, quosque novos fert punica contere fructus.

TAXUS

N2_022 v.1 Insuper Oetaeam potu cave sumere taxum
 2 abiegnis similem ramis, miseraeque datricem
 3 mortis, eam sumptus vini fecundior haustus
 4 vicerit, aereos ubi strinxerit illa meatus.
 5 Porro nostra videns haec olim carmina lector
 6 accipe non alia quam sunt ea condita mente,
 7 Nicandrique tui juxta memor esto poetae,
 8 sic erit ut facili tibi Juppiter annuat aure.